

H.F.u.f.80^a (167²/₁₁)

DE

AXIOMATE CAUSARUM

UTRUM SIT PROPOSITIO ANALYTICA

APUD FACULTATEM LITTERARUM PARISIENSEM

DISPUTABAT P. PASTY




PARISIIS

APUD VICTOREM LECOFFRE, BIBLIOPOLAM

90, VIA DICTA BONAPARTE, 90

1881



H. F. F. 1.802 (1875)

D.E.

AXIOMATE CAUSARUM

CAUSAE ET EFFECTUS

CAUSAE ET EFFECTUS


DISPUTAT. P. PASTY



CAUSAE

CAUSAE ET EFFECTUS

CAUSAE ET EFFECTUS



ILLM̄O AC RM̄O

DÑO DÑO

PETRO HECTORI COULLIE

EPISCOPO AURELIANENSI

HUMILLIMUS AC DEVOTISSIMUS FILIUS

HUNC SUUM LIBELLUM DEDICAVIT

1815 et 1816

1817

PATRO HONORI COLLEGE

EPISCOPUS APOSTOLICUS

CONSTITUTIONES ET DECISIONES

REVERENDI PATRIS APOSTOLICI

DE AXIOMATE CAUSARUM

UTRUM SIT PROPOSITIO ANALYTICA

PROOEMIUM

- I. — Quæstio tractanda.
 - II. — Brevis controversiæ historia. — Lockius.
 - III. — Leibnizius.
 - IV. — David Humius.
 - V. — Thomas Reidius.
 - VI. — Emmanuel Kantius.
 - VII. — Gulielmus Hamilton.
 - VIII. — Franciscus de Biran, Victor Cousin, Adolphus Garnier.
 - IX. — Recentiorum placita.
 - X. — Controversorum summa. — Hujus thesis propositum.
-

I. — *Quæstio tractanda.*

Omnibus ubique hominibus *nihil sine causa evenire posse* semper certissimum fuit. Vix recentiori ætate, hujus, ut aiunt, axiomatis universam ac necessariam veritatem philosophi quidam audaciores impugnarunt.

Qui vero effati illius certitudinem omnino inconcusam esse volunt de ejus certitudinis natura explicanda dissentiunt.

Alii quidem mentes nostras censent ad id asseverandum impelli naturali quadam propensione cujus ratio nulla afferri potest,

Alii vero illam propensionem ipsa evidentia elucidari explicarique posse existimant, et supradictum de causis axioma ad illud quo eadem non posse simul esse et non esse judicamus asseveramusque revocant.

Quorum sententiam et maxime probo et hac thesi paulo fusius exponere ac demonstrare aggredior.

Hoc ut perficiam, singula minime persequar adversariorum argumenta; sed ipsum, ut ita dicam, penetrare, animum scilicet adibo, ejus cogitationes, ideas omnemque actum scrutaturus. Hinc, ut spero, certam veritatem deducam, nec adversas opiniones exagitabo nisi se mihi obviæ dederint viamque intercluserint.

II. — *Brevis controversiæ historia.* — *Lockius.*

Attamen quo nodus qui mihi expediendus est magis appareat controversiæ originem et præcipua momenta summam attingam.

Omnia fere quæcumque adversus causæ naturam et originem sunt objecta ex ea philosophorum schola quæ universam cognitionem sensibus addicit, prodierunt.

Ipse Lockius qui duos esse notionum fontes iudicavit, unum scilicet rerum externarum sensum, et et alterum animi in seipsum conversi ac suas cogitationes percipientis intentionem, ex utroque causæ notitiam educi posse affirmavit.

Ex primo quidem fonte.

« Cum sensuum commotionibus admoniti, inquit, perpetuam rerum vicissitudinem consideramus, non possumus non animadvertere singularia multa, vel qualitates vel substantias, initium existendi capere, et capere quidem ex apta alterius admotione vel operatione. Ex hac autem observatione ad causæ et effectus ideam pervenimus¹. »

Ex altero etiam fonte.

Ibidem enim asserit causæ effectusque ideam ex notionibus quas vel sensus vel animæ in seipsam intentæ acies suffecerunt, originem ducere.

Alibique hæc docet : « Mihi liquet nos in nobismet ipsis invenire potestatem plurimos actus mentis aut corporis inchoandi vel non inchoandi, persequendi vel intermittendi, et hæc quidem efficiendi una cogitatione aut animi electione qui illud vel illud fieri decernit imperatque¹. »

Hæc et similia Lockius de causæ notionis origine disserit, quæ non nihil dubitationis rem propius spectanti relinquere poterant.

Plures etiam inerant difficultates illi quam præter-

1. Essai sur l'Entendement, liv. II, chap. xxvi, § I.

2. Ibid., liv. II, chap. xxi, § V.

misit quæstioni, scilicet utrum ex idea causæ talibus enata principiis erui possit axioma universalitatis et necessitatis characteribus insignitum.

III. *Leibnizius.*

Juxta gravissimum hunc Lockii adversarium, mens humana est vis sui conscia quæ postquam sese perpetuo actuosam sensit, ceteras substantias sui similes esse, licet diversis gradibus, intellexit, externaque, per ea quæ sunt in seipsa, cognovit.

Ex iis colligit Leibnizius vim esse cujusque substantiæ essentiam; quæ vis non nuda agendi potestas est, sed nisum involvit nec unquam sine quodam actu remanet, ita ut illud quod non agit substantiæ nomen non mereatur.

Illa quidam recte de vi et causa philosophorum germanorum princeps, sed in errorem incidere videtur cum iis substantiis quibus continuam actionem tribuit, passionem omnino abnegat, contenditque nullam substantiam in substantiam aliam agere vel ab alius substantiæ actu immutari posse.

Quid vero de nostro causarum axiome præclarus philosophus?

Ideas statuit in intellectu humano existere necessarias, universas et æternas; easque, quamvis sine sensu nunquam explicentur, nullo ex sensu oriri, sed naturaliter inesse menti, haud secus ac venæ quibus, in marmorea mole, Herculis species describeretur.

Hujus modi præsensionibus adnumerat axioma rationis sufficientis dictum, quo nostra de causis enuntiatio continetur.

IV. *David Humius.*

Lockianam Humius de idearum origine doctrinam complexus, quæ argumenta magister adversus substantiæ notionem deprompserat, adversus causam retorsit.

Statuit esse in anima impressiones, quarum aliæ, uti visus, auditus, tactus, e rebus externis proficiscuntur; aliæ, ut odium, amor, nihil sunt nisi animæ affectiones.

Ideæ vero sunt impressionum imitationes imaginesque extenuatæ. Quæ si nulli respondeant impressioni inanes sunt ac significationis vacuæ.

Hujus generis est idea causæ et necessarij inter causam et effectum nexus.

De iis nihil nobis sensus externi nuntiant.

« Ubi per ea quæ circumstant circumferimus oculos, hanc colligationem necessariam causæ ad effectum nequaquamprehendimus; res videmus sibi invicem succedere, globulum globulo percuti, percussum moveri; verum nihil aliud nobis sensus externi tradunt »

Deinde Humius inquit utrum animi in seipsum, id est in suas ipsius cogitationes adversio fons esse possit ex quo ideam causæ vere efficientis hauriamus.

« Obtendunt, ait, nos in nobis quamdam potestatem sine intermissione sentire, cum nos posse sentiamus sola voluntate movere artus mentemque, et singulas mentis facultates certum ad finem dirigere..

« Dicet aliquis eam vis aut potestatis ideam duci ex illo nisu quo ad obicem removendum contendimus; at vero illius nisus sensus nihil nobis de ejus consequentiis vel effectibus indicat. Hunc ergo nisum potestatem esse vel causam non reapse sentimus : sola experientia ejus exitus cognoscimus. Ea cognitione eventus quosdam deprehendimus, nisum scilicet et motum, quorum alter excipit alterum, alter vero alterum non producit. Motus siquidem non semper nisum sequitur.

« Repeteturne idea potestatis ex sensu voluntatis mentem in aliquid cognoscendum intendenti; at vero nihil sentimus nisi rem post voluntatis jussum evenire : qui eventus cognitio est. Quæ vero sit hujus rei perficiendæ ratio, quæ potestas eam peragat, nos omnino latet.....

« Ideo, cum ea intelligere non possimus quæ nunquam sub sensus externos ceciderunt nec interno sensu sunt percepta, necessario concludendum est nullam nobis inesse potestatis vel causæ notionem; illas idcirco voces prorsus inanes esse, sive a philosophis, sive ab hominum vulgo usurpantur. »

Ut notio, sic axioma causæ nullo pacto explicari potest.

« Etenim universum necessariumque est illud axioma, cum nullo modo, nullo loco, nullo tempore

fieri possit ut quidquam sine causa eveniat. Atqui etsi sensus duo facta ita connecti perciperet ut unum causa, alterum effectus esset, qui possumus ex hoc concludere res ita semper et ubique se habere, nec alio modo se habere posse. Quid sit, non quid esse debeat referunt sensus. Etsi multorum factorum causas percepissemus, unde possumus cognoscere omnia prorsus facta, cum ea quæ non percipimus, tum ea quæ nondum fuerunt et esse tamen possunt, suam habere causam? Sensus ea quæ fiunt nec unquam sunt universa complectitur, ea vero quæ nondum facta sunt nullo modo assequi potest. »

Inde concludit nos ad id ut judicemus factis omnibus semper et ubique, et quidem necessario, causam esse, induci « ex consuetudine duos eventus conjunctos percipiendi. Unde fit ut ex altero ad alterum cogitandum mens semper transeat, sibi que persuadeat alterum sine altero esse non posse.¹ »

V. — *Thomas Reidius.*

Sensus omnium communis, cui adeo repugnabant Humii opiniones, Thomas Reidius defensor prodiit.

Cujus rei ipse testis est : « Nunquam mihi, inquit, in mentem venisset receptas de intellectu humano opiniones in dubium revocare nisi tractatum de natura humana anno 1739 editum legissem. Ingeniosissimus hujus operis auctor, Lockii sententiis,

1. *Traité de la Nature humaine*, livre I. — *Essais*, liv. IV, V, VII.

qui minime scepticus erat, certam disciplinæ formam superstruxit, qua omnia in dubium trahuntur. Cum mihi recta esse argumentandi ratio videretur, ad propositum unde argumenta deducebantur redire eaque ad obrussam exigere utile judicavi. Quod cum fecissem, nihil aliud universæ scepticorum disciplinæ subesse intellexi, nisi illud quod omnibus fere philosophis placet, nempe intellectum ea modo percipere quæ in ipso sunt, ideoque non ipsas res externas, sed tantum quasdam imagines quæ eas res comitantur percipi. ¹ »

Multis equidem in locis, adversario concedit causæ aut potestatis notionem neque ab externo neque ab interno sensu duci posse.

« Haud facile dictu, inquit, qua ratione potestatis notionem acquiramus. Namque potestas sub sensus non cadit nec conscientia percipitur. Etenim eventa eventis succedentia, non eventorum vim effectricem cernimus. Actus equidem mentis conscientia percipit, sed potestas actus non est. ² »

Ex iis vero non eadem ac Humius colligit. Concludit enim causæ notionem experientia non suppeditari, eandem tamen menti inesse asserit.

« Non modo homines, inquit, etiam a teneris quid sit potestas norunt, sed sibi quamdam inesse potestatem persuasum habent. » Cujus rei plurima ibidem, profert argumenta.

Imo, licet in hoc sibi non constet, alio loco agnos-

1. Cité par V. Cousin, *Philosophie écoss.*, p. 363.

2. *Essai* VI, ch. V, p. 336, édit. Lecoffre.

cit veram causæ notionem ex nostræ actionis conscientia peti.

« Vis rei efficiens, inquit, sub sensus externos non cadit. Sola conscientia hanc subministrat notionem quæ ex eo ducitur quod imperium nos in cogitationes et actus nostros exercere sentimus. ¹ »

Ea postquam de notione causæ disseruit ipsum causæ axioma ejusque originem expendit.

In primis statuit sensum qui singularia tantum complectitur, magis esse circumscriptum quam ut in eo causarum axioma innitatur, quandoquidem illud : *nihil sine causa evenire*, universe ac necessario verum est, dum sensus refert quid sit vel fuerit, non vero quid esse oporteat.

Deinde advertit illud de causis effatum per se evidens esse nec posse intelligi quin assensum statim rapiat.

Quod si quærat unde illa oriatur evidentiae lux quæ ad credendum mentem cogit, ea philosophus noster respondet :

« Est ingenita quædam animæ vis qua, ut ita dicam, ipsi verum afflatur vel suggeritur. Huic cum simplices notiones numero infinitas, ab impressionibus vel ideis diversas, tum plurima credendi principia debemus.... Hac principiorum vi, ubicumque initium existendi vel rerum immutatio occurrunt, ad causam concipiendam et affirmandam cogimur. ² »

1. *Essai* VI, ch. VI, p. 365.

2. *Rech. sur l'Entend.*, ch. II, sect. VI, et *Essai* VI. V, 7^e principe.

Summa igitur scoticæ philosophiæ ad hoc recidit ut mens ex conscientia causæ notionem, et ex propria natura, illud causæ, ubicumque percipitur eventum, affirmandæ principium hauriat.

VI. *Emmanuel Kantius*

Kantius non secus ac Reidius confutanda sceptici Humii argumenta et quamdam humanæ scientiæ certitudinem asserendam sibi proposuit.

In hoc errasse Humium iudicat quod duo non viderit, unum scilicet intellectui humano inesse cognoscendi principia quæ quolibet sensuum motu priora sunt, ideo *a priori* vocanda; alterum, mentem humanam sibi ipsi ea principia sufficere posse.

In iis duobus constituendis ipse fere totus est.

Primo quidem statuit in anima notiones esse quæ non ex sensu, sed ex quadam superiori animæ potentia derivantur.

Sensus enim, ut ipse notat, res hoc vel illo modo esse, non vero eas aliter esse non posse refert; nec ulla enuntiatio cui nihil subest præter sensus experimenta in universum patet.

Ex his colligit quaslibet enuntiationes de iis quæ omnino universa habentur nullo ex sensu oriri¹.

Deinde in hujusmodi notiones causæ ideam reponit.

1. T. I, p. 359 et 360. *Critique de la Raison pure*, traduct. de Tissot, Ladrangé, 1845.

Causæ conceptus adeo evidenter continet causæ et effectus conjunctionem necessariam, eamdemque universam, ut totus evanescat, si quis, ut Humius, illum conceptum repetat ex frequenti consequentis cum antecedenti conjunctione nec non ex consuetudine perceptas rerum illarum imagines consociandi : quæ consuetudo necessitatem facit, sed soli animæ facit¹.

Posteaquam necessarias et universas notiones ostendit ex sensu oriri non posse, earundem quis sit fons et origo anquiri : quam quæstionem ad aliquid pressius adhuc et liquidius redigere nititur.

Scilicet discernit enuntiationes analyticas et syntheticas, quarum priores subjecto nihil nisi quod continet tribuunt ; posteriores vero subjecto quod non continet adjungunt.

Quod adjunctum cum intellectui subministrat sensus, syntheticas enuntiationes *a posteriori* esse dicit ; *a priori* vero cum adjunctum suppeditat ea rationalis animæ potentia quæ ab omni sensu sejuncta est et omni sensu prior.

Hujus generis est percelebre de causis enuntiatum. Subjectum enim, idea nempe illius quod evenit seu post aliud existit, ab idea causæ omnino diversum est ; causæ vero idea et ejusdem cum evento conjunctionis non sensu sufficitur, cum ea prorsus necessaria et universa sit.

Quibus positis, inquiri undenam oriatur vis et ne-

1. *Ibid.*, t. I., p. 361.

cessitas qua subjecto cogitur intellectus notiones adjungere, quas ille nec sensu suscipit nec in subjecto contineri percipit.

Singula capita per quæ Kantius ad suam hujus quæstionis solutionem devenit breviter persequenda sunt.

Sensus seu sentiendi facultas ea animi pars est quæ rebus externis afficitur.

Mens diversas intuetur sensus affectiones, cæque menti res externas repræsentant.

Res quæ menti, quatenus sensum afficit, repræsentatur phænomenon est.

Quod sensu ipso, in hac repræsentatione, menti sufficitur, materia phænomeni est. Illud vi cujus phænomeni diversitas in certum ordinem redigi potest, forma phænomeni est.

Exempli gratia, quæcumque mens sensu percipit, ea spatii vel temporis ordine disponit, et id quidem necessario; nec ea quæ sensu repræsentantur intueri potest nisi in tempore aut spatio, vel in tempore simul et spatio.

Unde ratio temporis et spatii sunt sentiendi conditiones et phænomenorum sensu perceptorum formæ necessariae.

Quas formas intellectus, eo ipso quod necessariae sunt, non ex sensus exercitatione, neutiquam necessaria, accipit; sed in semetipso invenit atque ante omnem sensus affectionem, impressas habet.

Præterea notandum est, cum diversa illa quæ materia phænomeni continentur, tum diversas spatii et

temporis partes nonnisi singula et per successionem menti repræsentari.

Atqui ad unam totius rei cognitionem necesse est ut illa quæ singula et tempore spatioque diversa percipiuntur, ad aliquid unum revocentur et uno veluti mentis complexu colligantur¹.

Unde vero et quo ex fonte illud unum, illam intellectus unitatem repetemus ?

Ex conscientia quæ, dum nos continuo monet illud quod cogitamus idem a nobis jam proximo temporis momento cogitatum esse, diversa et successiva in unam repræsentationem redigit².

Illa vero conscientia prorsus discrepat ab ea quæ singulas animi affectiones, ubi primum existunt percipit. Ea enim, quæ sensus intimus dicitur, ex sensu pendet, omnino varia est et mutabilis, nec quidquam quod idem sit et permaneat sufficere potest.

Recipienda ergo est quædam conscientia sublimior, quæ sensum omnem superans ac veluti transcendens unicuique menti suam ipsius unitatem exhibet³.

Hæc postquam statuit Kantius, notat mentem dum percurrit diversa, quæ ad unitatem conceptus redigat, modo nulla, modo ineluctabili necessitate esse devinctam ad certum ordinem servandum.

Age, exempli gratia, diversa quibus constat domus

1. T. I, p. 125 et 126.

2. T. I, p. 126 et 127.

3. T. I, p. 130 et 131.

mihî ante oculos obversata, mens per successionem tueatur. In iis tuendis nullus ei ordo præscriptus, ita ut tuendi initium esse possit ab ima vel a summa, a sinistra vel a dextra domus parte.

At vero, cum navigium video secundo flumine delatum, perceptio hujus pratis fluminis quæ superior est et quam prius occupat navigium perceptionem semper præcedit hujus partis fluminis quæ inferior est, et postea navigio occupatur; idque ita fit ut aliter esse non possit; nec ullo modo qui spectat navigii cursum illud in parte fluminis inferiore prius, ac deinde in superiori videre poterit ¹.

Hic igitur necessitate fixus est ordo, quo sibi invicem animæ perceptiones in rei comprehensione succedant.

Ex his Kantius suam causæ effectusque et necessariî inter hæc duo nexus notionem deducit.

Mens scilicet unum concipiat quod succedit alteri; sit eorum quæ sibi succedere concipiuntur ordo successionis insuperabili necessitate fixus, ita ut quod prius fuit perceptum, posterius minime percipi possit: *Causa* illud est quod antecedit. *Eventum* vel *effectus* illud quod consequitur. *Nexus* inter causam et effectum necessarius, illa necessitas qua mens ad causam concipiendam ante eventum, eventum vero post causam concipiendum impellitur.

Quærenti vero unde illa necessitas quæ intellectum in colligendis cognitionum elementis constringit,

1. T. I, p. 217.

eique sufficit causæ ipsius notionem, respondet Kantius eam legem utpote vere necessariam et universam necnon ad omnes sensuum perceptiones requisitam nullo ex sensu oriri, omni sensus exercitatione priorem esse et penitus ipsi menti esse infixam et congenitam.

Hinc illud expeditur quod in quæstionem a Kantio vocatum erat, nempe quænam sit et quo ex fonte oriatur illa vis quæ intellectum cogit ad causæ notionem cum eventî notione qua non continetur conjungendam.

Censet equidem ipsam mentis humanæ naturam fontem esse ex quo desumantur illæ notiones quas non præbet sensus, nec non illa norma qua intellectus ipse in notionibus quæ diversæ sunt nexu necessario et universo conjungendis regitur.

At vero postquam ea cognoscendi principia proposita sunt, inquirendum est (sunt enim ipsa mente cui insita sunt veluti conclusa) quæ et qualis eorum auctoritas, si non jam vis intelligens, sed ipsæ cognitæ res considerentur.

Hanc difficultatem vidit Reidius neglexitque, dum Kantius in eam expediendam omnes ingenii vires intendit.

Quorsum vero immensus germani philosophi labor evasit? Ad id scilicet ut asserat tum ceteris cognoscendi principiis, tum axiomati causarum, quamvis necessariis et universis, auctoritatem ab iis qui non jam sensus affectiones, sed res in ipsis rebus spectent, tribui posse nullam.

Idque merito colligit ex eo quod ea principia quibus omnis cognitio determinatur non ex rerum cognitarum natura, sed ex sola naturali cognoscentis intellectus conditione derivet.

Quibus semel positis, duo consequi notanda sunt.

Primum quidem, ut ordo ille quo phænomena componi percipimus totus a nobis sit.

« Constans ille phænomenorum ordo, ait Kantius, qui ordo natura dicitur, a nobis ipsis efficitur, nec illum, nisi prius a nobis vel a mentis natura constitutus foret, detegeremus.¹ »

« Ipse intellectus legum naturalium conditor est, quo remoto, nulla prorsus foret natura.² »

Secundum, ut ex axiomate causarum sic intellecto effici non possit existere mundi auctorem. Namque cognoscendi principium, quod causarum axioma dicitur ad id quidem valet ut intellectum vi quadam necessaria regat in percipiendis comprehendendisque phænomenis quæ non nisi in sensu existunt. Ad ulteriora vero prorsus invalidum est, nec quidquam habet quo mentem ad illam causam a phænomenis discretam eorumque effectricem cognoscendam perducatur.³

Hinc uno conspectu quæ præcipue de præsentī materia senserit Kantius complecti licet.

Imprimis Humio concedit causæ notionem neque ex interno neque ex externo sensu peti posse; sed eam

1. T. I, p. 148.

2. T. I, p. 149.

3. *Ibid.*

intellectui humano ante vel saltem extra omnem sensus exercitationem naturaliter inesse contendit.

Exinde colligit causarum axioma ad faciendam fidem vim habere, si sola internarum cogitationum ratio habeatur, necessariam et universam; nullam vero, si ea spectentur quæ extra intellectum esse possunt, ita ut, hujus luce axiomatis, utrum mundus vel mundi supremus conditor existant minime cognosci possit.

VII. — *Hamilton.*

Hamilton qui Reidii Scotorumque disciplinam in multis secutus est, aliquid proprium de causarum notione et axiomate excogitavit.

Negat causæ notionem petendam esse ex hujus conscientia actionis qua suum anima corpus movet. Revocatis enim Humii argumentis, objicit voluntatem inter et membri cujuslibet motionem multa intercedere, scilicet nervorum, musculorum ceterorumque vel liquidorum vel solidorum agitationes: quæ media cum minime inter se concuti mens perspiciat, duo extrema, corpus scilicet et animam, sese certo et vere efficaci ictu contingentia perspicere nullo modo potest.

Idcirco quæcumque de causis vera cognoscere et affirmare possumus pervulgato versiculo: *Ex nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti*, omnia includi contendit.

Namque eæ voces id imprimis significant, nullius rei

nitium ab humana mente concipi posse. Qua ex lege intellectus, imo veluti ex fonte, cum notitia tum axioma causarum deducuntur.

Primo quidem rata mens nullam rem esse quæ initium existendi habeat, ipsas causas in effectus suos traduci, effectusque nihil aliud esse nisi causas ipsas, commutato tantum habitu formaque.

Præterea quæcumque oriri videt alio jam modo extitisse pronuntiat, ideoque sine causa, prout causam intelligit philosophus noster, non effici¹.

1. « Nous croyons que les causes contiennent tout ce qui est dans l'effet, et que l'effet ne renferme rien de plus que ce qui était contenu dans les causes.

Exemple : un sel neutre est un effet de la combinaison d'un acide et d'un alcali. Nous ne pouvons pas concevoir que dans cette combinaison une nouvelle existence ait été ajoutée, et nous ne pouvons pas non plus concevoir qu'une existence ait été supprimée. Autre exemple : la poudre à canon est l'effet d'un mélange de soufre, de charbon et de nitre, et ces trois substances sont aussi des effets, des résultats de constituants plus simples dont on connaît ou dont on peut concevoir l'existence. Or dans cette série de combinaisons, nous ne pouvons pas concevoir que quoi que ce soit commence à exister. Nous sommes forcés d'admettre que la poudre à canon contient la même quotité d'existence que ses constituants élémentaires en contenaient avant la combinaison. Mettons le feu à la poudre. Pouvons-nous concevoir que l'existence ait été diminuée par la destruction d'un seul élément existant auparavant, ou accrue par l'addition d'un seul élément qui jusque là n'existait pas dans la nature ? *Omnia mutantur; nihil interit* : c'est ce que nous pensons, c'est ce que nous devons penser. C'est là le phénomène mental de la causalité : nous nions nécessairement que l'objet qui semble commencer d'être, commence en réalité ; et nous identifions nécessairement son existence présente avec son existence passée....

Nous sommes incapables de concevoir qu'un atome puisse absolument être ajouté à l'ensemble des existences ou en être absolument

Sed inde sequi negat Hamilton necessariam axiomatis veritatem quo asserimus nihil non habere causam. Impellente equidem natura, judicamus rem nullam existendi initium capere posse, proindeque rem nullam sine causa existere. Sed nec ingenita credendi necessitas certa veri regula est; plura namque fiunt quæ fieri nullo modo posse judicabantur. Et vero liberæ voluntatis actus sæpissime causa carent, quantumque animi fide rem nullam carere causa posse pronuntiamus.

VIII. — *Franciscus de Biran, Victor Cousin
et Adolphus Garnier.*

Dum Lockii doctrina et quæ ex ea consequuntur in Britannia majori et Germania, ingeniorum maxima

retranché. Faites l'expérience. Formez-vous une notion de l'univers; pouvez-vous après cela concevoir que la quantité d'existence dont l'univers est la somme soit augmentée ou amoindrie? Vous pouvez concevoir la création du monde aussi clairement que vous pouvez concevoir celle d'un atome. Mais qu'est-ce qu'une création? ce n'est pas le passage de rien à quelque chose. Loin de là, la création n'est connue et concevable pour nous que comme le dégagement d'une nouvelle forme d'existence par le fait de la divinité. Supposons l'instant même de la création. Pouvons-nous nous figurer qu'un instant après que l'univers est devenu un être manifeste, il y ait eu un plus grand contingent d'existence dans l'univers et son Auteur pris ensemble, qu'il n'y en avait un moment auparavant dans la divinité toute seule? Nous ne pouvons pas nous le figurer.... »

Quam infirma, quam falsa sint hæc omnia, ex infra dicendis apparebit, et ipse demonstrat Millius, ibidem, p. 339-340.

1. Stuart Mill, *Philosophie de Hamilton*, chap. XVI, p. 338 et suiv. de la trad. franç.

vi, licet sæpius infelicitè refellebantur, eadem in Galliis prævalebant à Condillaco præsertim defensa et propagata.

At vero, sub initiis hujus sæculi, communi huic opinioni plurimi e nostris restiterunt philosophi : quorum alii vestigia Scotorum secuti sunt, alii vero sibi fecerunt iter magis proprium.

Hos inter eminet Franciscus de Biran, qui primum vulgatas tunc temporis in Gallia de causæ notione opiniones suscepit ; sed mox eas, propriam in mentem intentus, vidit esse falsas ; namque cognovit notionem causæ in mente nostra ex nostræ actionis sensu excitari.

Animus scilicet se novit agere ut moveat corpus vel etiam ut animi potentias regat, duoque simul conscientia percipit, nempe interiorem nisum, et ejus finem seu aliquid renitens ad quod pervincendum ille nisus tendit.

Postquam hanc causæ notionem ex interna mentis actione eruit intellectus, eamdem naturali inductione foras ad ipsam naturam transferimus, atque sicut nullum novimus voluntarium motum quem non ex ipsa mentis vi oriri sentiamus, ita judicamus motibus externis et absque voluntate nostra excitatis causas esse quæ vim mentis nostræ imitentur : quod quidem judicium idem est ac tritum de causis axioma.

1. *Fondements de la Psychologie*. Introd. générale page 47. — Introd. aux OEuvres de M. de Biran, par M. E. Naville, p. 86.

2. *OEuvres philosophiques de Biran*, t. IV, p. 392.

Illam causæ notionis originem probavit Victor Cousin, sed jure merito contendit ex illa notione per naturalem inductionem non posse causarum axioma erui, cum conclusio multo magis pateat quam ea quæ ad concludendam hic assumpta sunt. Siquidem ex eo quod phænomena plurima novimus quibus nostra voluntas causa sit, minime colligi potest phænomenis universis semper et ubique et necessario causam esse.

Quin etiam, si causarum axioma in nostræ actionis conscientia necnon inductione niteretur, ubicumque et quotiescumque phænomenon perciperemus, illud ex nostra voluntate oriri semper et ubique judicarem; quod fieri Franciscus de Biran, quocumque se vertat, minime probare potest.

Origo igitur illius axiomatis repetenda est ex fonte alio, scilicet ex quodam intellectus actu, quem abstractionem, non equidem comparativam sed præsentem et sine medio vocat. Atqui illa in eo est ut, cognitis, verbi gratia, tum voluntatis nostræ actione, tum motu corporeo ex ea profluente, statim nulla interposita re, ratio inter ea duo quæ particularia sunt respectum dispiciat qui, iis duobus variantibus, ipse non variat sed constans et universus est; qui ita verus apparet ut negari nequeat, ideoque necessarius sit.

Inde fit ut, ubicumque sensibus aut conscientiæ motus vel quaecumque phænomenon exhibeantur, iis intellectus causam necessario tribuat: quæ necessaria regula, intellectui imposita, causarum axioma nuncupatur.

Si quæretur qui possit erui universum ac necessarium ex particulari et sine necessitate contingenti, respondet illustris philosophus id rationem vi propria facere ¹.

Addit præterea nemini negandum esse illud principium ad res in se cognoscendas valere, ex eo quod ejus necessitas, dum mentem afficit, ipsi sit credendi ratio, ideoque credat quod non possit non credere.

Namque hæc ipsa necessitas non mentem afficit cum intellectus primario aciem in res intendit, sed tantum modo cum in seipsum reversus illud negare conatur quod primum admisit.

Ceteroquin cum universo genere humano non male ex necessitate credendi nobis naturaliter insita eorum quæ creduntur veritas colligitur ².

De iisdem rebus, post Victorem Cousin, Aldophus Garnier pauca, sed ea memoratu digna, commentatus est.

Ille animi facultatum alias secernit quæ suum intra seipsas opus totum efficiunt, ut est intellectus; alias quarum effectus se, ut ita dicam, foras premit, ut voluntas quæ intellectum impellit, aut illa virtus qua singuli membra nostra ex sententia movemus.

Concedit eos homines qui mentis aciem in ipsum animum acrius intendere valeant, ducere posse causæ notionem ex conscientia cum actionis earum facultatum quæ non nisi intra semetipsas operantur, cum voluntatis etiam ab omni actione cessantis.

1. *Philosophie de Locke*, VII^e leçon, p. 185 à 189. — 1^{er} Essai, p. 239.

2. *du Vrai, etc.*, p. 60, 65 et 66.

Sed contendit hanc ipsam notionem plerumque peti ex externi actus conscientia, illius nempe quo animi virtus vel aliam animi facultatem vel ipsum corpus contingit afficitque¹.

De causarum axiome acturus, primum pro certo ponit omnes vere philosophos in hoc consentire ut ea quæ existunt vel æternum extitisse vel alicujus causæ vi, quæ ipsa æterna sit, existere asseverent².

Illam autem ex notione, quam æternæ causæ perceptionem vel contuitum vocat, ostendit, nec magno negotio, illud consequi ut nihil sine causa effici possit³.

XI. — *Recentiorum placita.*

Hæc omnia quæ sanior philosophia ubique fere de causis stabilierat dogmata, nunc iterum, doctis licet et eloquentissimis scriptis illustrata, acerrime impugnantur, et quæ oblivione et silentio jacebant oppressa, emergere rursum et magnis laudibus extolli videmus.

Sunt enim qui, renovatis Humii opinionibus, causæ ideam iterum derivant ex notione successionis quæ perpetuo et constanter eadem sit. Illud quod semper et ubique antecedit, causam; illud vero quod semper et ubique consequitur, effectum vocant; nec prius inter et posterius vim esse volunt quæ ea veluti colliget.

1. *Facultés intellectuelles*, liv. VI, chap. II, § 4.

2. *Facultés intellectuelles*, liv. VI, chap. V, § 10.

3. *Ibid*, § II.

Sed audire licet scriptorem qui hujus doctrinae in Gallia propugnator videtur esse praecipuus.

« Quando dicimus, ait, ex antecedenti consequens oriri, neque arcanum nescio quod vinculum quo subtiliores philosophi causam et effectum colligant, neque vim incorporalem et intimam, quam inter produciens et productum quidam interponunt, in mente habemus.

« Sola notio qua hic indigemus, Millio teste, sensu externo subministrari potest. Externo enim sensu novimus in natura existere constantem et perfectum succedentium ordinem, ac factum quodlibet alteri facto posterius esse. Causam vocamus quod praecedit et perpetuo idem est...

« Errant philosophi qui in voluntate nostra diversam causae notionem et exemplum reperire existimant, ibique vim efficientem in ipso actu et exercitatione deprehendi credunt. Hic et alibi nihil videmus nisi constantem succedentium ordinem, quorum unum non gignit alterum, sed usque praecedit.

« Voluntas nostra, ait Millius, motus efficit corporeos, sicut frigus glaciem. Hic, sicut alibi, reperire est antecedens, scilicet propositum quod est quidam animi status, et consequens quod unius vel plurimorum membrorum status est. Haec duo sensus connectit, praemonetque nervorum distentionem ex voluntatis proposito secuturam¹.

Auctor idem, quamvis omnino causale vinculum antecedens inter et consequens sustulerit, osten-

1. Taine, *de l'Intelligence*, tome II, p. 292-301.

dere nihilominus aggreditur axioma causæ ad illud revocari quo idem de eodem affirmatur.

Quem ad finem statuit evidens esse illud cognoscendi principium quod rerum explicandarum rationem vocat. « Quodcumque factum, ait, quæcumque naturæ lex enuntietur, semper in ea lege vel facto reperire est notam tum particularem vel minus generalem, tum multo magis generalem.

Atqui inter illas duas tertia semper est latior prima quam continet et quæ ex ea extrahi potest, sed angustior secunda quæ eam continet et ex qua potest extrahi.

Media illa nota est ipsa rei explicandæ ratio.

Etenim cum prima contineatur secundamque contineat, rationem reddit cur prima secundam contineat, cur subjecto nomini includatur prædicatum ac de eo affirmari possit¹.

Huic sciendi principio causarum axioma eo modo revincit.

Illius axiomatis ea potest esse formula : Quælibet rei mutatio causam, id est conditionem semper et ubique eamdem habet.

At vero res mutari nequit quin ex ea quædam tollatur nota. Sed, ex dictis, cuilibet notæ indissolubili nodo conjuncta est nota quæ ejus rationem reddit. Ergo prior illa nota tolli non potest quin et posterior tollatur; sicque notæ abolitio posterioris conditio est universa et necessaria, id est causa, cur prior nota tollatur ex re, ac proinde res ipsa commutetur.

1. Taine, *de l'Intelligence*, tome II, p. 482 et suiv.

Unde liquet cujuslibet rerum commutationis causam existere ¹.

Qua de argumentatione hæc duo animadverti debent:

Primum scilicet, ab auctore asseri huic rei mutationi, huic notæ vel proprietatis quæ rei inest abolitioni semper esse non equidem causam vere efficientem quam omnino sustulit, sed aliquam, ut ipse ait, antecessionem, prævium aliquod factum, aliquam conditionem præpositam.

Præterea, juxta eundem philosophum, omnis nostra rerum cognitio ad id revocatur et in eo maxime est ut mens sensibus afficiatur quos extra seipsam veluti producat. « Ipsa, ait, perceptio externa somnium est interius quod forte quadam et naturæ beneficio congruit rebus externis. »

Inde sequitur notas vel proprietates quibus res constant, in rebus ipsis simul vel successive, alias cum aliis, alias ante vel post alias, propterea percipi quod mens, quidquid illa sit in hujus scriptoris commutationibus, propria quadam necessitate ad certas affectiones, simul vel successive, alias cum aliis, aut alias ante vel post alias habendas constricta sit et perducatur.

Quod si res ita se habeant, causarum axiomati non aliud esse fundamentum videtur, quam hæc ipsa necessitas infixæ menti ut sensus certo ordine habeat, habitosque intellectu compreheudat. Quæ jam fere dixerat Kantius; a quo ad Humium omnis illa recentioris philosophiæ lucubratio videtur fluctuare.

1. *Id. ibid.*, p. 490.

X. — *Controversorum summa. — Hujus Thesis
propositum.*

Jam breviter complecti licet omnem illam de causis concertationem.

Disserendi materies hæc erat : causæ ideam habemus, et quotiescumque aliquid incipere seu initium habere existendi percipimus, noster intellectus vi quadam impellitur ad judicandum hic adesse causam.

Nonnulli, ut ab iis incipiam qui in errorem longius sunt progressi, hanc causæ ideam contenderunt nihil nobis exhibere, nisi constantem ac perpetuam rerum successionem, et vim illam quæ nostro causarum axiomati subest, ex ipsa duo simul percipiendi consuetudine oriri. Quæ consuetudo efficit ut, ubi ex duobus illis unum repræsentatur, alterum huic statim cogitatione adjungere cogamur.

Quos contra errores semper steterunt philosophi qui singula veritatis veluti capita tuerentur.

Primo loco ii sunt recensendi qui asseruerunt nobis inesse causæ ideam, a successionis idea prorsus diversam, et qua vera efficientia concipiatur.

Eam nonnulli ex arcano quodam fonte, citra omnem sensus exercitationem derivare opinati sunt; sed demonstrarunt alii eandem ex actionis nostræ conscientia oriri.

Quod pertinet ad ipsum causæ axioma, ejus vim a consuetudinis vi omnino segregandam esse ostensum

est ac ejus universitas necessitasque absoluta sunt restitutæ.

Alii quidem hanc ejus axiomatis vim nonnisi ad interna mentis phænomena ordinanda ac comprehendenda valere dixerunt; sed alii affirmarunt illud etiam ad res externas cognoscendas idoneum esse.

Qui cum quærerent unde hoc posset, plurimi ejus vim in ipsa mentis humanæ constitutione reposuerunt totamque contenderunt ex natura rationali manare.

Non pauci vero fuerunt, præsertim in scholis catholicis, qui voluerint illud effatum ipsa evidentix luce pollere, et in ea enuntiatione : *Quidquid incipit causam habet*, partem subjectivam, id est illud *Quidquid incipit*, contineri illa parte quæ prædicatum dicitur, scilicet : *Habens causam*; ita ut nostrum de causis axioma unum sit ex iis judiciis quibus idem de eodem affirmamus.

Hanc doctrinam in Italia propugnavit doctissimus abbas Rosmini Serbati, cujus argumentationem brevius describere haud abs re erit.

Ille igitur asserit notionem eventi, quæ in dicta propositione loco subjecti ponitur, includere notionem illius quod incipit existere; notione vero illius quod incipit existere ideam contineri immutationis. Atqui immutationis idea includit ideam novæ operationis, quæ concipi non potest sine operante, seu causa. Unde Abbas Rosmini concludit notione eventi notionem illius quod causam habet includi.

Sed in illa acutissimi philosophi argumentatione quædam sunt rationum momenta quæ paulo infirmiora aut saltem obscuriora videntur.

Etenim non omnino liquet idea eventû ideam mutationis, ac præsertim idea mutationis ideam operationis et operantis contineri; et semper quæri potest quare, dum statum unum alteri statui in eadem substantia succedere, vel substantiam ex nihilo sui ad existendum transire concipio, illud fieri per alicujus causæ operationem necessario concipiam.

At vero, quamvis rationes illas non omnes omnino probem, assertam conclusionem totus amplector illamque enitar confirmare propriis argumentis.

Ut ergo demonstrém notiones causæ et eorum quæ incipere possunt, id est substantiæ et modi, inter se convenire, mihi mens est prius iterum explicare quid unaquæque notio comprehendat et quam late pateat.

Quem ob finem, in primis ostendam quid sensus sive internus sive externus mihi referat de illa interna causa quæ ipse ego sum; de causis quæ mihi externæ sunt; de interna etiam et de externa substantia eorumque immutationibus sive liberis sive necessariis.

Quædam de notione infiniti interponam.

Deinde ex iis sensus documentis, prælucente infiniti notione, educam hinc causæ, illinc substantiæ cum intimæ, tum externæ, ejusque commutationum seu libere seu necessario peractarum notiones universales.

Postea ipsum causæ axiomā quo illæ notiones conferuntur aggressus, inquiram quænam sit vera ejus formula, utrum ea sit analytica propositio et ad quid præcipue valeat.

CAPUT PRIMUM

De causæ et substantiæ perceptione

- I. De perceptione causæ intimæ, ejus nempe causæ quæ eadem est ac cognoscens anima.
- II. De perceptione externæ causæ, ejus nempe quæ ab anima cognoscente diversa est.
- III. De notione infiniti.
- IV. De perceptione intimæ substantiæ ejusque modorum commutationis.
- IV. De perceptione externæ substantiæ finitæ ejusque modorum commutationis.

ARTICULUS PRIMUS. — DE PERCEPTIONE CAUSÆ INTIMÆ, EJUS NEMPE QUÆ EADEM EST AC COGNOSCENS ANIMA.

Quo mens facilius et omni ex parte dignoscatur, eam in eo statu collochemus quo se totam exserat, verbi gratia, in loco maxime vario, inter ea quæ vim omnem sentiendi excire possint, ubi scilicet visus diversis rerum coloribus, auditus voce animantium vel inanimorum sonitu, et sic omnes alii sensus, sua quisque re propria, commoveantur.

Primo temporis puncto, animus omni ex parte percussus et ea omnia quibus commovetur et seipsum, una et indivisa sed indistincta confusaque cognitione, comprehendit.

Mox vero mens, ceteris omissis, intelligendi vim intendit in singularia quædam, exempli gratia, in vividiores auditus, visus, tactus odoratusve sensus, quos attentius subtiliusque intuetur ac dispicit.

Quod si hanc mentis partem veluti extimam in qua sensus commoventur pervaserimus, discernere in primis erit ipsam animi attentionem, id est nisum intimum quo mentis acies in hunc vel illum sensum, in hanc vel illam rem dirigitur; deinde amorem vel odium quæ considerata res incutit; postea dolorem voluptatemve quæ ipsum odium aut amorem consequuntur.

Ex his omnibus status animi existit, qui licet unus in se et indivisus, singula tamen quæ dixi, nempe sensum, quamdam animi attentionem, amorem vel odium, voluptatem vel dolorem, complectitur.

Quod si ea status mei elementa singularia dispicio, alia esse animadverto quæ non solum in me sunt, sed ex me principium existendi habent, quæ non solum in me, sed a me, vi propria, effici video. Sic non modo meam animi attentionem percipio, sed meipsum sentio sponte mea animum intendentem.

Inde manifestum est mentem percipere seipsam esse causam, cum non modo sui ipsius actus, sed se eos sponte et vi propria perficientem videat.

ART. II. — DE CAUSÆ EXTERNÆ PERCEPTIONE.

§ I. — De perceptione causæ externæ in genere.

§ II. — De perceptione proprii corporis, illius nempe causæ quæ cum animæ cognoscenti externa sit, eam præsentī actione commovet.

§ I. — *De perceptione causæ externæ in genere.*

Expendendum nunc habemus utrum eadem mens quæ se sentit agere et inde se causam esse novit, res etiam externas attingere, earum actionem assequi et illas esse causas cognoscere valeat.

Ad hujus rei explanationem, illum animæ statum inspicere est, de quo jam dixi, qui unus licet, plurima tamen elementa complectitur.

Ex iis elementis alia vidi ex meipso principium existendi trahere; alia vero sunt quorum in me causam non reperio, uti sensus videndi, audiendi, odorandi, quos cum intueor, mentis quidem meæ cerno affectionem, eam vero affectionem ex me et vi mea existere minime perspicio.

Animus, ubi eam quæ in ipso est affectionem vidit, non in ea cernenda consistit, sed statim se ad rem externam convertit: quod non una ratione perficitur.

Etenim cum mentis aciem in meipsum converto,

principio, dum modo medio crisim habitu, mens simul et animæ sensum æquabilem vagumque, et quamdam externarum complexionem causarum animam eo sensu afficientium, conjuncte et in universum deprehendit.

Quam quidem causarum externarum complexionem corpus meum voco.

Ille equidem corporis proprii sensus generalis usque permanet, sed in eo simul semper aut fere semper aliquid emicat acrius et distinctius; animaque, uno tempore, et illo universali sensu et aliquo peculiari aut videndi aut audiendi aut tangendi sensu commovetur. Quod cum fit, anima in ea causa eam multipliciter percellente particulares illorum aut videndi aut audiendi aut tangendi particularium sensuum causas advertit.

Quæ causæ oculus aut auris aut aliqua tactus pars sunt.

Imo vero, cum illæ mei corporis partes animam sensu particulari concitant, judico eas ad id agendum impelli causis a corpore meo diversis.

Quas causas corpora externa nuncupo.

Si quis attentius examinare voluerit eam quam perceptionem externam vocant, nihil in illa reperiet præter ea quædiximus, scilicet vim cognoscendi intentam :

1° Ad sensum animi vagum, et simul ad ejus causam, id est totum corpus.

2° Ad sensum vividiorem qui in generali veluti densatur et excrescit, et simul ad ejus causam, scilicet aliquam ipsius corporis partem,

3° Ad aliud elementum quod non modo ab ipsa anima, sed etiam a corpore animæ proxime conjuncto diversum est, nec in ipsam animam, sed in corpus animæ proprium directo agere existimatur.

De ejus postremæ causæ cognitione nihil in præsentī dicendum habemus. Hic enim de perceptione agimus. Atqui vel contra quod primo adspectu judicatur, ea causa nostram animam revera percipit: tunc ad ejus cognitionem referri poterunt quæ mox dicturi sumus de nostri corporis perceptione — vel eadem causa nihil nisi corpus animæ conjunctum attingit: tunc ejus cognoscendi ratio longè alia est atque ipsa perceptio quæ eatenus progreditur, ut tum animæ affectiones, tum illa quæ, animæ licet externa sint, per se tamen animam afficiunt, attingat. Ad ejus causæ cognitionem explicandam, causarum axioma aut illam saltem quam dicunt consociandarum idearum legem adhibere opus esset. Quapropter de illa cognitione tunc tantum pauca disseremus quum ad ea pervenerimus cognoscendi principia.

§ II. — *De perceptione proprii corporis, illius nempe causæ quæ cum animæ externa sit, eam tamen præsentī actione commovet.*

I. Utrum ea perceptio vere directa sit.

II. Quid de proprio corpore apprehendat directa perceptio.

I. — *Utrum ea perceptio vere directa sit.*

Novimus animam suos ipsius habitus, actioness ci-

licet passionesque, directa intimæ conscientiæ perceptione deprehendere. Nunc inquirendum est utrum eodem modo, nempe directa cognoscendi ratione, illud assequamur corpus quod in nostram animam existimamus agere, sed ab ipsa anima discretum esse perspicimus.

Atqui, si ea quæ in intellectu peraguntur diligentius observaverimus, in hisce quidem cognitionibus discrimen esse reperiemus ex eo quod diversa cognoscantur, scilicet hinc anima animæque phænomena, inde res ab anima distinctæ, non vero ex eo quod res modo cognoscantur diverso.

Siquidem, quantalibet animi attentione vim et actum cognoscendi inspiciam, utramque cognitionem reperio simplicissimam esse et maxime directam, omnique prorsus ratiocinatione remotam, utramque demum, eodem temporis momento, modo eodem perfici et eodem actu res duas comprehendere.

Quod philosophus recentior, de quo jam supra diximus¹ nec profecto spernendæ auctoritatis, Hamilton, iis verbis luculente demonstrat.

« Si mens ipsa, inquit, se de hac re consuluerit, claram et apertam responsionem exprimet. Ubi omnem intellectus vim in actum percipiendi, etiamsi simplicissimus sit, intendo, mihi persuasissimum fit res duas ibi simul esse, aut potius rem unam quæ duo simul respiciat: video scilicet me esse, et insuper esse aliquid quod non sum ego. In hoc eodem actu perspicio et me aliquid percipientem et aliquid mihi externum a

1. *Proæm*, p. 17.

me perceptum. Hæc autem duo existere uno et eodem conscientiæ intuitu percipiuntur. Cognitio mei qui rem notam habeo cognitionem rei subjectæ nec præcedit nec sequitur. Neutra neutri causa est principiumve Illa duo quæ sunt cognita, ita in intellectu constituuntur ut inter se compensata sint et distincta; cognitione quidem conjuncta, re autem divisa. Eo modo res ipsas percipi conscientia demonstrat¹. »

Sed aliis gravioribus utamur argumentis. Certum est me imprimis cujusdam substantiæ notionem habere pluribus ex partibus constantis, quam per se meam in animam agere existimo. Certum est etiam me invincibiliter impelli ad credendum eam existere substantiam, quam meum corpus voco.

Atqui, nisi directi mentis intuitu cognoscerem proprium saltem corpus, unde mihi hæc fides esset existere corpus? Unde corporis vel ideam sumerem?

Ea equidem notio in mei ipsius conscientia non includitur. Nulla in me est affectio, nulla actio, nihil omnino est aut esse potest quod sit ullo modo causa a me diversa, quod mihi proinde causæ a me diversæ notionem sufficere possit; nec concipi potest qua ratione mens ex sui suarumque affectionum notione rerum prorsus aliarum et natura distinctarum ideam traheret.

Nihil ibi valet animi attentio, nihil abstrahendi, ut aiunt, facultas : quæ quidem in subjecta re ele-

1. William Hamilton, *Fragments de philosophie*, traduits par L. Peisse. *Théorie de la perception*, p. 79.

menta inclusa et veluti latentia discernere possunt, absentia vero effingere non possunt.

Sed forsā ex abstrahendi ad ratiocinandi facultatem recurretur, assereturque mentem ex iis quæ in se peragi videt et quorum in se non detegit causam ad id deduci posse, adhibito causarum axiome, ut cognoscat causas existere sibi externas.

Id vero a nullo eorum recipietur qui perpenderit quodnam ibi necessario implicetur ratiocinium et quænam requisita sint ad hoc efficiendum ratiocinium cui subest causarum axioma.

Etenim has necessarias conditiones, earum numerum et ordinem breviter describamus.

Primo quidem oporteret ut phænomenon aliquod mihi internum, nempe aliquam mei ipsius affectionem persentirem.

Secundo, ut menti meæ inesset causarum axioma, vi cuius notum est quicquid incipiat causam habere.

Tertio, ut, prælucente causarum axiome, affirmarem huic meæ affectioni causam esse.

Quarto, ut adverterem eam causam in me non reperiri.

Quinto, ut inde inferrem causam meæ hujus affectionis existere extra me et a me distinctam.

Quæ omnia et singula ita necessaria sunt ut, si vel unum deficiat, externæ causæ cognitio minime, ea jam ratione, acquiri possit.

Hæc cum ita sint, duo tantum ostendamus:

Primum scilicet, axioma causarum comparari non posse, nisi prius habeatur causarum quæ in animam

agant cognitio, nedum illud axioma ad illas causas cognoscendas via sit.

Secundum, § non posse, vi hujus axiomatis, etiamsi haberetur, demonstrari externam esse causam affectionibus quas sentio in me existere, sed quarum in me principium non reperio.

Et jam de primo puncto.

Causarum axioma, ut illa quam descripsimus argumentatio possit in eo fundari ad hanc formam redigi debet : Quidquid substantiæ accidit vel in ea vel extra illam causam habet ; aut saltem ad illam minus generalem significationem : Quidquid mihi accidit causam aliquam habere debet vel in me, vel extra me. Porro illa axiomatis formula haud dubio plurimarum causarum ideam includit. Qui enim causam in genere concipit, ut ille qui causarum axioma adhibet, non causam unam singularemque, sed causas numero indefinitas vel saltem plurimas intelligit ; ideoque unam saltem ab ipsa mente intelligente, quæ nonnisi una est, diversam concipit.

Hinc patet nos causarum axioma habere non posse, quin prius aut simul plurimarum causarum notionem habeamus, quarum saltem una nobis sit externa et a nobis distincta.

Illud ergo axioma externæ causæ notionem parere non potest, cum in ea notione tanquam in fundamento necessario inniti debeat.

Sed age, mens causarum axioma quoquo modo habeat ; poteritne, vi hujus axiomatis, quibuslibet suis affectionibus, postquam earum causam in se non repe-

rerit, affirmare causam existere externam? Minime, cum ipsa possit earum affectionum per inscitiam esse causa. Et sane plurima in mente fiunt, ut quidam tristitiæ vel gaudii sensus, quibus mens minime causam tribuit externam, licet eorum in se principium non videat¹.

Nunc, quoniam nullius hic opis est causarum axioma, forsán contendetur animam ineluctabili quadam et cœca propensione ad id cogi, ut ea quæ in se percipit veluti foras producat, illisque suis affectionibus causam externam tribuat.

Sed primum homini phisosopho parum convenit ex hujusmodi cœca propensione humanam cognitionem derivare.

Præterea nihil prodesset illa propensio, nisi prius mens causæ externæ notionem haberet. Hæc enim propensio nihil aliud esse potest quam vis animum impellens, et prorsus distincta ab illa notione ad quam recipiendam impellit.

Nec magis dicatur Deum humano intellectui causarum externarum notitiam, quacumque voluerit ratione, immittere posse. Quid enim? qua via, qua ratione illam Deus nobis cognitionem infunderet? Nonne aliquid sive per se sive per causam aliam in mentem agere deberet? Num, seclusa hujus modi actione, mentem ullo modo afficeret? Num menti quam nullo afficeret modo, quidquam notum facere posset?

Nec satis esset mentem actione divina affici affectionisque suæ consciam esse. Si nihil nisi hanc sui

1. V. Garnier, *Traité des facultés de l'âme*, liv. VI, ch. IV, § 13.

affectionem modumque sibi inditum assequeretur, nihil nisi se suamque existendi rationem cogitaret. Ut ex illorum internorum phænomenorum conscientia ad externæ causæ notitiam assurgere posset, illud ipsum, quidquid foret, quod in eam ageret adipisci cogitatu menteque veluti comprehendere deberet.

Quancumque ergo in partem se convertat mens, sive intra se sive supra seipsam, nullam viam reperire potest qua causarum sibi externarum ideam comparet, nisi saltem earum aliquas in se ipsa et directo intellectus intuitu percipiat.

At vero qui fieri potest ut mens illud in se percipiat quod ab ea funditus distinctum est et separatum, scilicet substantiam, causam vel causæ actionem quæ ipsa non est?

Hic sane difficultas inest quam haud æstimo parvam, sed ea ratione explicari posse credo.

Quid sit vis, quid sit agere, quomodo vis et suos actus et seipsam sentiat, novi ex mei meæque efficientiæ conscientia: qui mihi primus et altissimus sciendi fons est.

Non equidem quomodo vis externa in me agere meque sua actione interius commutare possit cognovi. Intelligo tamen inter vim seu causam externam quæ me sua actione afficit et me ipsum qui eam actionem recipio contactum fieri et unionem quam maxime intimam, mentemque meam tam arcte et vitaliter, ut ita dicam, coniungi et commisceri huic externæ causæ, ut ejus actionem haud aliter ac suam ipsius percipere posse videatur.

Quam explicationem auctoritate philosophi coævi fulcire licet : « Primo adspectu, inquit. Fr. Bouillier, fieri non posse videtur ut conscientia ea quæ extra ipsam suntprehendat, ut ea quæ conscientiæ propria non sunt sub conscientiam cadant. Illud etiam pugnare credas nisi adverteris inter tuam naturam et ea quæ tuæ ipsius naturæ modum imponunt necessario aliquid existere in quo hæc duo (quæ ego et non ego dicuntur) ita se contingunt et committuntur, ut re et cognitione conjuncta sint.

« Sic, ut exemplum ex geometria sumam, linea recta quæ circulum tangit, ita circinationis lineæ confunditur ubi eam contingit, ut duæ lineæ in unam coeant et unius cognitio ab alterius cognitione sejungi nequeat. ¹ »

§ II. — *Quidnam ex proprio corpore apprehendat perceptio directa.*

Superioribus tractationibus, illud saltem demonstratum est nos quasdam externas actiones, quosdam modos existendi externos percipere, quibus nobismetipsis affectiones et modi inducuntur.

At vero, ut quidam philosophi autumant, nihilne aliud ex externis mens percipit præter mera phænomena et meros existendi modos?

Quid vero esse potest existendi modus nisi aliquid subsit quod existat? Quid actio, nisi vis sit quæ agat,

1. Bouillier, *de la Conscience en psychologie et en morale*, p. 100 et 101.

id est causa? Modus enim et res cujus modus est, causa et actio mente quidem distinguuntur, sed re ita individua sunt, ut unum sine altero percipi non possit. Qui percipit modum et actionem, idem et rem et causam percipit.

Ad id ergo pervenit anima, ut suum corpus, causam scilicet quæ ipsi externa est sed in ipsam agit, vere ac directo mentis intuitu assequeretur dum ejusdem corporis percipit actum, haud secus ac anima suam vim et efficientiam reapse assequitur dum actus affectionesque suas percipit.

Sed longius adhuc progredi potest et hujus externæ causæ cognitionem magis ac magis explicare.

Etenim si attentius considero ea quæ in me peraguntur cum nulla me res vividius commovet, animadverto me, ut jam supra notatum est, percipere tum aliquem in anima vagum et veluti uniformem sensum, tum hujus sensus vagam pariter et confusam causam, quæ est proprii corporis veluti summa. Illa nunquam intermittitur perceptio, sed simul ac totum corpus illo mentis intuitu continuo comprehenditur, ita mentis acies, aliis atque aliis causis, convertitur in aliquas corporis partes, ut eas a toto secernat.

Quod eo modo perficitur : partes illæ, caput, verbi gratia, aut collum aut pectus speciali sensu animam commovent. Tum mens non modo illum sensum specialem a generali qui semper perdurat, sed etiam a generalis sensus causa causam hujus specialis sensus, quæ est caput aut collum aut pectus, discernit. Quæ discretio facillima est, ubi de magnis his quas dixi

corporis partibus agitur. In iis vero quæ magnas subdividunt et minimæ sunt, requiritur animi contentio major, quæ tamen vires ingenii humani non superat.

Ex dictis apparet directam proprii corporis perceptionem duo vere complecti : illam imprimis vim quæ ejus essentia est, nec eas solum actiones modosve quibus ipsa vis exseritur ; deinde partium elementorumque diversitatem quibus totum constat corpus.

Eas partes certo præsentia vel distantia ordine inter se componi et extensum aliquid efficere cognoscimus, sed non sola directæ perceptionis luce cognoscimus, ut infra explicabitur.

ARTICULUS III. — DE NOTIONE INFINITI.

Mens, ut ex antea dictis, demonstratum est, adhibito conscientia vel sensus externi lumine, percipit hinc seipsam et ea quæ agit vel patitur, hinc, extra seipsam, causas quæ sensus commovent, et earum causarum actiones existendique modos.

At his duobus veluti adminiculis innixa ac sese magis erigens aliquid majus et amplius assequitur.

Etenim, cum mens tum suam vim actionemque, tum causarum externarum efficientiam vera ac distincta cognitione percipit, easdem videt esse finitas, id est hoc vel illo modo nec alio existere. Videt, exempli gratia, se certam intelligentia, certam voluntatis vim expromere et nihil amplius ; videt causas externas hos vel illos habere effectus, non vero alios.

At vero quam ratione mihi externisve causis certum virtutis actionisque gradum inesse, ceterosque abesse advertam, nisi aliquid in mente habeam, quod meæ, quod externæ efficientiæ gradus omnes superet?

Quid vero et quale dicendum est illud quod et me et omni alia re quam attingere potui, quantacumque illa sit, semper majus concipitur.

Nonne illud ipsum est quod infinitum dicimus?

Sed non modo ex eo quod res aliquas distincta cognitione finitas videmus colligi potest mentem infiniti notionem habere; idem apertius omnes declaramus, cum de qualibet re pronuntiamus eam minime esse infinitam, cum de ipso infinito sermonem habemus et disputamus. Qui enim hæc omnia facere possemus, si nulla ejusdem infiniti nobis inesset notio.

Nunc paucis inquirendum unde illa oriatur.

Atqui ea de origine tria hæc tantum fingi possunt:

Vel hæc notio ex conscientia eorum quæ in mente sunt vel peraguntur educta est;

Vel ex rerum finitarum et menti externarum cognitione;

Vel ex ipso infinito, id est ex quodam inter mentem et infinitum commercio.

Primum vero admitti nequit. Etenim quidquid in mente est vel peragitur mentis proprium est et finitum, ac prorsus discrepat ab eo quod extra mentem est et infinitum, nec ejus ideam sufficere potest.

Secundum pariter rejici debet, propter jam allatam rationem, scilicet propterea quod res finitæ, quocum-

que modo versentur, infiniti ideam minime possint subministrare.

Qui philosophi illud fieri posse volunt, multum insudant ut qua ratione fiat explicant.

Alii dicunt mentem ex finito ad infinitum concipendum pervenire duplici via, dum scilicet finiti limites et modos removet aut negat, vel dum finitis finita, ullo sine fine, addit.

Ad hæc duo revocari potest recentioris opinio, cui sic se res habere videtur.

Mens nimirum corpora quædam seu certas spatii partes percipit. Iis corporibus quæ percipit aliquid simile et majus esse videt; exinde tertium aliud his duobus amplius concipitur; tertio autem et quartum ulterius, et ita porro. Qui conceptus ipsa est spatii infiniti notio. Simili ratione, id est finitis quæ percepta sunt finita quæ non nisi cogitatione concipiuntur addendo, ideam effingimus temporis infiniti¹.

Sed utraque hæc notionis infiniti explicandæ ratio vana est.

1. « Il en est ainsi toutes les fois que nous concevons et affirmons quelque grandeur abstraite véritablement infinie, le temps ou l'espace. Nous en prenons un fragment, telle courte portion de durée comprise dans nos sensations simultanées. Nous considérons à part ce morceau, nous en extrayons cette propriété qu'il a d'être débordé par un *au-delà* absolument semblable à lui-même. Nous posons comme tout à l'heure cette loi générale que la grandeur en question se continue hors d'elle-même par une autre grandeur toute pareille, celle-ci de même, et ainsi de suite, sans qu'une limite puisse intervenir. A cela se réduit notre conception du temps infini et de l'espace infini. » Taine, *de l'Intelligence*, t. I, p. 64.

Prima quidem, cum finiti limites negari non possint nisi jam cognoscantur. Sed res cujus limites noti sunt ipsa finita intelligitur. Quod certe, ubi de rerum quas percepimus universitate agitur, intelligi non potest, ut modo demonstravimus, nisi prius aut simul infiniti idea habeatur.

Præterea, aliud est cujusdam rei finitæ limites negare, aliud vero intelligere infinitum. Nam quantumvis rei limites quam percipis mente neges et tollas, semper eadem remanet; nihil majus quam antea intellectui exhibet, nihil quod revera sit summum et ex omni parte absolutum. A qui tamen hujusmodi aliquid intelligit, qui intelligit infinitum.

Quid vero? Si finito finitum addas sine fine, poterisne verum consequi infinitum? Nullo modo.

Vel enim consideratur illud quod certa finitorum adjectione totum effectum est; et tunc non habetur infinitum, siquidem infinitum a certo et constituto finitorum numero, quantumvis magno, prorsus diversum est.

Vel consideratur ipsa potestas finitum finito addendi sine fine; et tunc quid est illa potestas? quid est illud sine fine?

Nonne ideo hujusmodi potestas concipitur quod ipsa habetur idea infiniti? Nonne mens ideo concepit finitum finito posse sine fine addi, quod, supra totum quodlibet ex finitis conflatum, concipit ipsum infinitum, et in eo infinito perfectionis gradus invenit qui numero careant et sine fine addi possint.

Hæc cum sint manifesta, non magis dici potest

mentem finita veluti coacervando quam finitorum limites tollendo, ad infiniti notionem assurgere.

Alii notionem hanc ex ea quam vocant idearum consociatione nasci volunt. Mens, inquiunt, certas primum spatii partes percipit, alias deinde novit prioribus situ vel tempore conjunctas, et iis quidem majores, nec talem unquam vidit amplitudinem quin existere noverit aliquid amplius.

Atqui mens, dum species rerum semel perceptarum revocat, ita lege quam idearum consociandarum vocant regitur ut, si rem unam perceperit alteri aliquo modo conjunctam, revocata prioris specie, et alterius species revocetur.

Ea ergo lege efficitur ut, dum mens determinatam spatii partem concipit, aliud semper et ulterius spatium imagnetur. Illud vero aliud, quod determinatum spatium quodlibet superat, infinitum est.

Illa explicatio subtiliter quidem, sed falso excogitata.

Primum enim nihil hic habetur nisi spatium et quidem indefinitum, id est quod magis magisque augeatur, dum proposita quæstio est de eo quod in præsentia et omni ex parte infinitum est.

Præterea etiamsi admittatur illa consociandarum idearum lex, etiamsi mens, quotiescumque alicujus spatii antea percepti speciem revocat, spatium aliud, et quidem majus revocaret, non ex eo ad infinitum cogitandum perduceretur.

Illud enim spatium aliud et majus cum percipit, finitum esse videt. Siquidem illos videndi ac tangendi

sensus quibus corpora subjecta sunt observare velis; tibi statim apparebit certa semper ac terminata spatia, et nihil amplius ulteriusve, sensuum illorum perceptionibus occupari. Ubi ergo, ex dicta ideas consociandi lege, perceptarum rerum imagines revocabuntur, finitum quid menti semper repræsentabitur. Quare nihil juvabit finitum illud alteri spatio quocum conjunctum est addidisse. Nunquam ex finitorum acervatione ideam infiniti elicies.

Necquidquam ergo ad idearum consociationem recurritur. Ne illa quidem via, ex finiti perceptione ad infiniti notionem perveniri potest.

Ceteroquin eam mens non ex sui, non ex eorum conscientia quæ in semetipsa existunt eruere potest.

Restat ergo ut notionem infiniti ex ipso infinito accipiat.

Quod ut efficiatur, duo necessaria sunt.

Requiritur primum, ut infinitum in mentem agat. Solum equidem infinitum sui ipsius notionem, ex dictis, conferre potest. Quid vero hæc infiniti potestas menti proderit, nisi aliquo modo mentem afficiat. Extra omnem infiniti actionem si mens remaneat, nulum auxilium ex eo habere poterit; ipsa sibi rebusque finitis relictæ, nulla ope ad id quod non poterat adjuvabitur.

Requiritur secundum, ut mens, percepta quam ex infinito recepit affectione, ad illud quod ipsam affecit infinitum assurgat. Non enim sufficit ut mens solam cognoscat affectionem quæ sibi ipsi, infiniti actione, indita est. Tunc enim nihil præter seipsam et sui

ipsius modum finitum cognosceret. Quæ cognitio ab infiniti notione remotissima est. Præterea igitur necessarium est ut mens infinitum quod in ipsam agit illaque actione ipsi conjungitur, directo vi intelligendi assequatur.

Illa infiniti notio non educitur, ut patet, ex finiti cognitione, siquidem ipsum menti objicitur infinitum; nec tamen omnino a finiti cognitione separata est. Mens enim, non nisi finiti terminos percipiendo, infinitum noscit aut saltem se noscere advertit.

Præterea alibi ostendetur mentem non cognoscere quid sit infinitum, quis et qualis infiniti actus, nisi per ea quæ finita sunt, scilicet dum actione finitorum percussa altissimoque somno veluti excusso, ad illam dispiciendam infiniti informationem quæ animo antecepta erat exsuscitatur; illa deinde explicata notione, colligit infinitam naturam, quæ omnibus aliis major est, ea omnia bona summo gradu habere quæ in finitis naturis aliquo gradu reperiuntur.

ARTICULUS IV. — DE PERCEPTIONE INTIMÆ SUBSTANTIÆ
EJUSQUE MODORUM COMMUTATIONIS.

Ex antea dictis intelligere est unoquoque rationalis animæ actu vel habitu plurima contineri :

Primo scilicet, affectionem ipsi forinsecus inditam vel actionem propria sponte editam.

Secundo, illius affectionis vel actionis conscientiam.

Tertio, causæ quæ in animam agit notionem ali-

quam, sive illa causa sit finita, sive etiam infinita sit.

Hæc semper consequuntur amor vel odium, gaudii dolorisve sensus, quæ omnia hic indicavisse satis erit.

Nunc quomodo singuli illi animæ status vel modi sibi invicem succedere noscantur explicandum.

Atqui sunt duo quæ animam ex uno horum statuum ad alium statum transferre possunt : quod modorum commutationem dicimus.

Prima causa est ipsius mentis intentio : certum, exempli gratia, statum mentis finge quo rem aliquam percipias perceptamque æquabili conspectu totam videas. Age, deinde mens propria sponte, nec alia causarum externarum actione addita, vim intelligendi in aliquam objectæ rei partem magis intendat. Ea intentione, hanc ipsam partem a ceteris secernit; ad hoc ejusdem particulas singulasque proprietates clarius pervidet.

Ex illa rei inspectione magis intenta novus animæ habitus necessario existit, ab eo quem perceptio prior efficiebat diversus. Hac enim intentione, mentis acies distinguit quæ non distinguebat, videt quæ non videbat; quin etiam intelligendi actum alium alius necessario consequitur affectus. Unde efficitur ut illa animi intentio causa sit cur animus ex uno habitu ad habitum alium transeat, et sic existendi modum commutet.

Altera commutationum causa est cum externa vis animam nova actione commovet. Qualiscumque enim fuerit antecedens animæ habitus, ex illa actione quæ eam nunc commovet nec antea commovebat, affectio-

nem recipit quæ, etsi sola remaneret, nec aliquam sui conscientiam, aliquam externæ causæ perceptionem aliaque consequentia gigneret, aliquid tamen novi in anima poneret ejusque mutaret existendi modum.

Hæc quidem omnia percipere potest, et reipsa percipit intimus animi sensus.

In prima enim commutatione, id est cum mens propria vi ex priori perceptione ad perceptionem aliam transit, et priorem et posteriorem videt; siquidem fieri non potest ut mens percipiat nec se percipientem videat sentiatque.

Idem dici debet de commutato animi statu per externam causam.

Sit enim aliquis animi habitus, cujus conscientia habeatur. Mens quæ illo se haberi modo videt, non potest non videre affectionem qua commutatur ille quem nunc intuetur sui habitus. Posterioris enim cognitio ex prioris cognitione necessario importatur.

Præterea animus se nunc fataliter, nunc libere commutari, id est ex alio ad alium existendi modum transire sentit.

Sæpe enim animus, dum se aliquo modo habet, aliquam ab externa causa actionem recipit, ac protinus sine ullo interiore nisu, sine ullo suo actu, se alio ac antea modo haberi sentit. Atqui novus ille modus ex priori modo et accepta externæ causæ actione omne principium, omnem existendi rationem ducit. Mens, præter ea quæ sunt modus prior et accepta ex causis externis commutatio, nihil agit, nihil nititur. Constituto hoc modo priore additaque externæ causæ ac-

tionem, protinus existit novus ille modus, per se et sine ullo alio animæ interventu. Hæc dum in se fieri sentit animus, se fataliter commutari sentit.

Interdum vero, cum anima vel per propriæ vel per externæ vis actionem est aliquo modo composita, ad alium transit modum visu interno, visu quem sibi proprium sentit et ab omni externæ causæ efficientia alienum. Quod cum sentit, liberam esse sui modi commutationem sentit. Siquidem liberum est et dicitur quod nec e priori existendi modo nec ex externæ causæ actione pendet, sed quod animus, aliquo modo jam constitutus, propria potestate, proprio voluntatis motu agit.

At vero mens non tantum conscia est se libere vel fataliter commutari. Sed in his commutationibus eadem perseverat et se perseverare eandem ipso intimo sensu cognoscit.

Etenim sentit inter duos sui ipsius habitus nihil medium, nullum intervallum, nullam intercapedinem esse.

Sic in primo commutationum genere, animus in certo habitu constitutus, se videt actione vis externæ affici, atque eo ipso solo in alium transferri habitum.

In secundo genere, mens se ex una ad aliam perceptionem transire videt, eo ipso solo quod intelligendi vim qua prædita est in quamdam objectæ rei partem intendens, illam eandem vim ex ea parte in partem alteram uno visu transferat.

In utroque casu, nihil inter priorem et posteriorem habitum ponitur. Alter alterum protinus sequitur;

imo alter ex altero educitur; alter alterius causa vel tota vel ex parte est; et hoc quidem ita fit ut, posteriore existente, prius non totum perierit. Sed ex eo quod erat in priore, aliquid remanet quod in posteriore continuatur nec ullo modo interruptum est: nempe illa vis quæ nunc aliquid vel patitur vel efficit, quæ ad id vel illud attendit, hoc vel illo modo affecta est, et una eademque antea aliquid aliud vel patiebatur vel agebat, ad id vel illud aliud attendebat, hæc vel illa alia affectione movebatur.

Quæ vis cum sit intelligens, non se tantum, ut diximus, in priori atque posteriori habitu percipit, sed se ex priore ad posteriorem, ex una ad aliam vel actionem vel passionem, se, inquam, videt transeuntem et unam eandemque, dum transit, perseverantem.

Hæc omnia intimum animi sensum consulenti perspicua sunt.

Illud accedit, quod non duntaxat unum altero modo commutavit anima, sed alios ex aliis innumeros prope recepit, in iisque omnibus recipiendis se percipit unam eandemque funditus perstitisse.

Qua ratione id assequi conscientia possit, explicare alibi tentavimus, summaque hujus disputationis capita hic indicare haud abs re erit.

Mens igitur, sui ipsius conscia, modos existendi, scienter commutare non potest quin simul hinc finitum aliquid, hinc infinitum percipiat. Peractis vero singulorum modorum commutationibus conjunctæ perceptiones non omni ex parte pereunt, sed usque perceptarum semel rerum aliquid retinet intellectus,

recentiusque reperta adjicit ante repertorum summæ
Non equidem universa quæ vicissim sive ex finitis
rebus sive ex ipso infinito percepit, intuentis animæ
oculis pariter collucent. Alia aliis illustriora sunt; ali-
quo modo tamen omnia apparent : ita ut mens, ad se
conversa, peractas perceptiones singulisque percep-
tionibus connexos animi habitus, non nulla conscien-
tiæ luce, possit relegere, seque, in illa internorum ha-
bituum ac perceptionum varietate, constantem vim
eamdemque substantiam fuisse cognoscat¹.

ART. V.— DE PERCEPTIONE EXTERNÆ SUBSTANTIÆ FINITÆ
EJUSQUE MODORUM COMMUTATIONIS.

- I. De perceptione externæ illius substantiæ quæ nostrum est corpus.
- II. De prima cognitione earum sensilium substantiarum quæ corpori
nostro externæ sunt.

§ I. *De perceptione externæ illius substantiæ quæ
nostrum est corpus.*

Vidimus plurimos esse animi habitus quos, cons-
cientia teste, animus non ipse ex se parit, sed aliunde
veluti immissos accipit.

1. *L'idée de Dieu, son origine et son rôle dans la morale.* 1^{re} partie,
liv. I, chap. III, art. IV. Théorie métaphysique de la mémoire.

Quæ memoriæ ratio subsequentibus titulis explicatur :

Hos existendi modos qui passivi dicuntur cum percipit mens, eorum simul percipit externam causam, corporis nimirum actionem ex qua exorti sunt.

Illa equidem actio, qua corpus unimam sibi conjunctam commovet, ipse modus est quo se corpus habet; ideoque, dum mens, sui ipsius conscia, eodem intellectus actu, percipit et modos sibi immissos et causam immittentem, quæ causa est corporis actio, corporis habitus percipit.

At vero singulis perceptionibus non nisi singulos tum animi, tum corporeæ causæ habitus statusque assequimur; atque aliud profecto est unum aliquem rei modum habitumque percipere, aliud rem illam quatenus substantiam vera cognitione assequi. Etenim rem esse substantiam perspicuum esse non potest, nisi ei qui hinc plurimos huic ipsi rei supervenisse modos, hinc rem illam aliquid unum idemque, in ea modorum varietate, retinuisse.

Nuper diximus quid valeat anima ad internos status percipiendos.

Imprimis, intimo sensu, sui habitum percipit novissimum, illum scilicet qui eo ipso exoritur momento quo percipitur.

Præterea, admirabili memoriæ vi, quæ memoria

§ 1. Présence continue de l'idée de l'infini dans la raison humaine.

§ II. Présence continue dans la raison des notions qui sont le développement de l'idée de l'infini.

§ III. La présence continue dans la raison de l'idée de l'infini et des notions qui en sont le développement explique les phénomènes essentiels de la mémoire.

vera certaue perceptio est, apprehendit modos habitusque qui novissimum sui habitum existendique modum præcesserunt.

At vero, ex iis animi statibus antecedentibus, non paucos reperimus qui ex nostra actione originem non habent. Quos ubiprehendimus, aliquam statim intelligimus externam causam, corpus videlicet ejusque externæ causæ actionem aliquam, quæ hujus generis habitus modosque superiores animo nostro incussit, haud secus ac postremum videmus alicujus externæ causæ vi existere.

Nunc vero quid de novissimis sui quibusque habitibus, quid de illorum externa causa novit mens?

Jam supra notavimus singulis animi passivis affectibus plurima contineri, nempe illum in primis sensum vagum, obscurum eundemque constanter permanentem; deinde, in illa obscuritate ac confusione, aliquid aut gravius aut calidius, aut acerbius aut jucundius, ceteraque hujusmodi.

Quod si mens sese ad hæc implicata phænomena intenderit, diversas ex quibus constant partes alias ab aliis secernit.

Præterea dum se ex interno animi affectu convertit ad ejus externam causam (quam corpus esse diximus), causam illam simili ratione dividit; ita ut, in uno corpore ex actione plurima plurimis partibus secretis, internoscat, exempli gratia, caput et pectus et brachia ceteraque membra.

At vero superiores animi motus habitusque non se aliter habent ac præsentis. Eos existendi modos cum

inspicimus, plurima in singulis elementa ac proprias singulorum elementorum causas detegimus.

Imo vero præsentibus antecedentia componentes, antecedentium phænomenorum elementa et eorum causas, multa ex parte, præsentium phænomenorum elementis et eorum causis similia esse videmus.

Unde efficitur, ut simul ac seriem modorum habituumque passivorum, quos in anima nostra præsentimodo habituque passivo antecessisse consci sumus, aliquid nobis externi, pari temporis tractu, extitisse cognoscamus, quod singulis illis phænomenis antecedentibus iisdemque passivis causa fuerit, et illius rei externæ speciem referat quæ phænomena nunc primum in animo præsentia efficit corpusque dicitur nostrum.

Externa et multiplex causa, quæ his postremis affectionibus animam commovet, ipsius est nostri corporis status et actio præsens. Singulæ vero causæ quæ phænomenis præcedentibus animum affecerunt, singuli sunt corporis nostri status actionesque præcedentes.

Hos externæ status causæ, quam corpus proprium vocamus, multis quidem inter se similitudinum vinculis, non vero unitate substantiæ colligari percipimus. Quantumvis enim affectus, quo animus in præsentimodo percipitur, similis esse videatur affectui quo superiori tempore percussus est; quantumvis etiam actio, quæ præsentem affectum efficit, similis esse possit actioni quæ effecit superiores, præsens et prior actio a causis aliis numeroque distinctis existere, possunt, nec intimæ

conscientiæ luce perspicitur eas ex aliqua vi proficisci quæ una eademque sit substantia.

Prima hæc corporis nostri cognitio angustis finibus conclusa est et perobscura. Adhibito causarum axioma, augeri, explicari, illustrari poterit. Sed antequam causarum axioma repertum sit, ad eam cognitionem extendendam, illa facultas nobis in promptu est quæ idearum imaginumque consociatio dicitur.

Ea est hujus facultatis lex, ut, postquam duo vel simul existere vel alterum alteri succedere sæpissime mens nostra aliquo sensu perceperit, postea ex perceptis unum non possit nostris sensibus objici quin alterum vel simul existere vel præcessisse aut esse successurum credamus.

Posteaquam notionibus principiisque necessariis instructa mens erit, id non credet, nisi cum credendum esse prudenter judicaverit; nec credendum esse judicabit, nisi quando videbit ex his duobus vel unum altero tanquam toto partem contineri, vel alterum esse causam effectumve alterius.

Sed principio, ea sola ratione res duas simul existere vel alteram alteri instare credimus, quod eas res ita se inter se habere sæpius antea viderimus.

Porro cum mens percipit hinc illos affectus suos quos non sibi dat, sed aliunde recipit, hinc corporeæ naturæ actiones quæ horum affectuum passivorum causæ sunt, has corporis actiones, illos animi affectus duobus vinculis esse inter se conjuncta usque percipit. Quorum primum in eo est, ut phænomenorum utrorumque eadem sint vicissitudines, et supradicti animi

affectus passivi semper desint vel mutantur vel similes revertantur, ubi deesse vel mutari vel similes reverti corporis actiones deprehenduntur. Alterum vero, quo nihil interius reperiri potest, in eo est, ut corporis actiones affectuum animi causæ sint et esse perspiciantur.

Quid vero de corporis statibus eorumque commutationibus?

Ex iis quæ modo disseruimus, jam vidit anima plurimas esse sui corporis partes; plurimos etiam singularum corporis partium actus habitusque.

Præterea notat certarum corporis partium status ita inter se conjungi, ut aliis intercidentibus vel commutatis vel redintegratis, alii semper intercident vel commutentur vel redintegrentur.

Id ipsum prius est ex vinculis quibus, ut modo diximus, suos ipsius passivos habitus et sui corporis actiones colligari perspexit.

Ex duobus quæ perceperat vinculis ubi reperit alterum, statim, impellente idearum consociationis vi, alterum cogitat, imo vero asserit existere aliarumque corporis partium status motusque ex aliarum corporis partium statibus motibusque tanquam ex causis vere efficientibus gigni.

Nec id solum; ubi cognovimus diversas corporis partes efficaci actione sese percellere, quo se ordine percellant jam cognoscere possumus.

Sint, verbi gratia, tres vel quatuor qualescumque corporis partes ABCD.... quarum actus habitusque mens sæpissime observaverit contuleritque.

Quotiescumque unam quamlibet ex his partibus, A, certos agendi existendique modos intermittere, commutare, redintegrare vidit, continuo quamvis aliam, B, certos et ipsam habitus similiter intermittere, commutare, redintegrare viderit : statim cognoscet primam partem A in secundam partem B agere.

Sed tertiam quamlibet C, intermittere, commutare, redintegrare modos non viderit, nisi postquam ipsa pars B, secuta partem A, certos modos intermisit, commutavit, redintegravit; cognoscet corporis partem A, directum habere actum in partem B, indirectum vero in partem C, quam non nisi interventu partis B attingit.

Illam proximæ vel remotæ actionis notionem alia sequitur, notio nimirum præsentiae vel distantiae qua corporis nostri partes aliæ ad alias referuntur.

Etenim cum prima pars A in secundam partem B directo et per se agere nobis videbitur, illam huic præsentem esse concipiemus; eamdem vero A, distare a tertia parte quam littera C significavimus, si A agere directo cognoscetur non equidem in B, sed tantum in C; quæ, recepta actione illius partis A, agit in C, et sic media est inter A et C. Unde fit ut inter A et C aliquid distantiae interesse judicetur.

Sic totum illud, quod plurimis partibus constat nostrumque dicitur corpus, intelligitur aliquid efficere extensi idemque hac vel illa mensura definitum esse.

§ II. — *De prima cognitione earum sensilium substantiarum quæ corpori nostro externæ sunt.*

In his quæ de proprio corpore per interni tactus perceptiones primitus anima cognovit, id habuit consuetum ut singulis singularum corporis partium commutationibus vel aliquam ceterarum corporis partium commotiones vel voluntatis nutum imperiumque viderit antecessisse esseque causam affirmaverit.

Hæc postquam longis probavit experimentis, sit ut eæ corporis partes quæ instrumenta sunt sensuum externorum, videndi scilicet et audiendi et tangendi ceterorumque hujusmodi, rebus externis permoveantur. Obortis motibus id commune est cum phænomenis corporeis antea perceptis, ut corporeorum modorum commutationes sint. Illas equidem commutationes cum percipitmens, nullam in reliquo corpore modorum conversionem, nullam animi voluntatem actionemve qualemcumque animadvertit quæ iis commutationibus antecedens et causa esse possit. Sed consociationis idearum vi rapitur intellectus et illis earum partium corporis quæ sentiendi instrumenta sunt affectionibus certa antecedentia certasque causas esse non modo cogitatione sibi effingit ac repræsentat, sed asserit revera existere.

Inde notam habemus naturam quæ corporis regiones percellit, ubi sedes est sensuum externorum.

Illam percipere, intelligere, cognoscere non pos-

sumus, quin eam semper referamus ad illas quas com-
movet corpori partes. Unde efficitur ut in ea etiam
natura diversas esse partes intelligamus.

Res vero quæ singulas proprii corporis partes affi-
ciunt, iis partibus præsentibus esse mens judicat. Atqui
affectæ corporis partes aliæ aliis præsentibus sunt, aliæ
ab aliis distant. Inde est et apparet necessarium, ut res
externæ vel rerum externarum partes, quæ ita dispo-
sitæ corporis partibus respondent, inter se præsentia
vel distantia ordine componantur et aliquid nobis ex-
hibeant extensi.

Hæc satis sint de ratione cognoscendi cum corpus
proprium, tum externa corpora, antequam causarum
axioma habeatur.

CAPUT SECUNDUM

De ideis universis causæ et substantiæ aliarumque rerum
connexarum.

- I. De comprehensione et extensione ideæ universæ.
 - II. De idea universa causæ.
 - III. De idea universa substantiæ modorumque commutationis.
 - IV. De idea universa successionis et initii.
 - V. De quibusdam hujus capitis corollariis.
-

ARTICULUS PRIMUS. — DE COMPREHENSIONE ET EXTENSIONE IDEÆ UNIVERSÆ.

Duo in idea universa sunt distinguenda, videlicet comprehensio, ut aiunt, et extensio.

Comprehensio nihil aliud est quam proprietates quas ipsa idea menti exhibet.

Extensio ideæ universæ dicitur numerus indefinitus personarum vel rerum singularium quarum proprietates sunt idea universa comprehensæ.

Sic dum considero communem causæ notionem, id est causam universam, omnem causam, in mente habeo tum actionem vel agendi potestatem, tum res perso-

nasve numero indefinitas, quæ actione illa vel facultate possunt esse præditæ.

Quæ cum ita sint, inquirendum est qua opera mens ex singularium perceptione, quæ sunt numero finita, ideam educat universam, quæ, ut dixi, notio est proprietatum rebus numero indefinitis communium.

Si sola spectetur comprehensio, generalis idea perceptioni ex qua oritur propior esse videtur. Siquidem quascumque proprietates idea continet, veluti agendi facultatem, modorum successionem, perseverantiam substantiæ, easdem ipsa perceptio comprehendit.

Quin imo ipsa proprietatum illarum idea perceptio est. Etenim sensum animi intimum interrogemus. Illa causæ, substantiæ, modi vel ceterorum idea quam habemus distincta est vel confusa.

Atqui tunc tantum distincte quid sit causa, substantia modusque noscimus, cum animum per se moveri vel causis externis affici percipientes, mentis aciem vel in animi vel in causarum externarum efficientiam, existendi modos substantiamque intendimus.

Quod si confusa sit idea, cuilibet semetipsum inspicienti apparebit earundem etiam rerum perceptionem haberi, sed eam imperfectam esse, ex eo quod mens suam intelligendi vim ad alia, verbi gratia, ad impositorum nominum imagines magis intendat.

Unum tamen inter ideæ comprehensionem et perceptionem interest, quod mens, in proprietatum perceptione, rem singularem cujus proprietates sunt totam magis considerat, dum, in proprietatum idea, mens a ceteris rei subjectæ partibus veluti abstracta,

totam se in proprietates illas inspicendas convertit,

Quæ cum ita sint, facile intelligit r. ideæ comprehensionem ex perceptione educi posse, dum vehementius suam intelligendi vim in quasdam rei perceptæ proprietates intendit, easque a ceteris omnibus separat.

Qua vero ratione, eadem mens rerum singularium quibus proprietates illas tribuit numerum sibi effingat indefinitum, non ita planum est. Res tamen sequenti ratione videtur explicari posse.

Mens primum res percepit, (nempe seipsam, causasque externas), alias aliis perfectiores, necnon numero finitas. At simul, ut diximus, aliquid iis omnibus superius internoscit, et idem infinitum esse videt.

Quod vero cetera omnia superare, et tali modo superare concipit, idem necessario concipit habere et eos gradus perfectionis quæ rebus adhuc sensu perceptis insunt, et aliquid aliud non solum multo sed infinito majus.

Hinc ipsi datur ansa concipiendi naturam existere posse quæ sit rebus jam perceptis saltem uno gradu perfectior, sicut ex illis rebus quas experientia cognovit aliæ alias aliqua perfectione superant. Intelligit ergo rerum singularium quas existere vidit numerum adaugeri unitate posse.

Extiterit vero ea natura quam uno gradu perfectionem effingimus. Illud majus, quod animi oculis usque objicitur et est infinitum, eam superabit naturam ac immensa undique supereminebit perfectione. Id mens animadvertat, quod certe facere potest; immen-

sam illam perfectionem contemplata, ejus veluti adminiculo, sese eriget ad novam naturam aliquo gradu perfectiorem concipiendam; quam cum primæ addiderit, numerum rerum singularium duabus augeri intelliget.

Hac secunda existente natura, necnon inexhaustam concipiendi materiam Infinito subministrante, tertiam naturam et quartam aliasque sine fine existere posse concipiet. Sic habebit naturarum individuarum numerum qui possit semper crescere ideoque indefinitus sit.

Sunt equidem philosophi qui volunt potestatem finita finitis addendi, vel res semel perceptas alias ex aliis in animum revocandi fontem esse ex quo mens ideam numeri indefiniti desumat.

Sed quæ supra diximus ubi de idea infiniti agebatur, hic etiam valent ut ostendant numeri indefiniti ideam ex hoc fonte non oriri.

Cum enim sensus nihil unquam percipiat nisi quod et gradu perfectionis et numero finitum est, qualicumque sit mens prædita potestate percepta perceptis addendi, non nisi numerum finitum hac via producet, nec de numero quem sine fine possit augere cogitabit. Ut enim aliquid tale cogitet, ipsi necessaria est infiniti idea quam adversarii remonent.

Ea est idearum universalium origo, sed quæ de omnibus dixi, nunc ad eas de quibus hic agitur transferenda sunt.

ARTICULUS II. — DE IDEA CAUSÆ UNIVERSÆ.

Dicendum imprimis qua ratione mens ad ea perveniat quæ causæ idea comprehendendi dicuntur.

Ex iis quæ comprobavi superius, non modo hunc vel illum mei habitum, hanc vel illam mei affectionem, hunc vel illum mei existendi modum sensu interiore percipio, sed hujus habitus, harum affectionum, hujus existendi modi causam esse nunc me, nunc res externas sentio videoque.

In me quidem, si nihil considero, præter hoc quod sim cujusdam mei habitus causa, quod hic mei habitus ex me ipso principium et rationem existendi habeat, id quod causæ internæ idea comprehenditur teneo.

Etenim causam internam cum dicimus, quid intelligimus nisi illam rei proprietatem qua ratio est et principium alicujus actionis vel modi ipsi inhærentis?

At vero in rebus externis, si nihil considero præter hoc quod sint ratio et principium alicujus habitus naturam reapse distinctam afficientis, habeo quod causæ externæ idea comprehenditur.

Etenim causam externam cum dicimus, quid etiam significamus, nisi vim ex qua distinctæ naturæ affectio statusve principium atque existendi rationem habeat.

Hæc de ea quam dicunt causæ ideæ comprehensione. Nunc pauca de ejusdem extensione.

Cum sentio me vim esse, me vim intelligo finitam

ac quorundam modo effectuum causam, sed simul intelligo vim omnium maximam, quæ ad effectus quoslibet valeat.

Hanc ubi mens causam infinitam, perfectam summamque percepit, descripta superius via, causarum effingit numerum qui indefinitus sit, ad quas quidquid causæ proprium esse diximus se extendat.

ARTICULUS III. — DE IDEA UNIVERSA SUBSTANTIÆ
MODORUMQUE COMMUTATIONIS.

Primo quidem de ideæ modorum commutandorum comprehensione agamus.

Mens, ut diximus, ex alio ad alium existendi modum nunc proprio nisu, nunc impulsu externo se traducit videt et in diversis illis habitibus eandem vim permanere.

Similiter, dum ad rem aliquam sibi externam, sed actione conjunctam se convertit, eam videt existendi modos commutare; nempe videt mutari et modum quo res tota in animum agit et ornamem quo singulæ rei partes in se invicem agunt et inter se componuntur.

Nunc age, mens, ceteris omissis, nihil in illa causa quæ ipsa est attendat nisi eam causam, proprio conatu aut impulsu externo, ex uno ad alterum habitum transire, id habebit quod modorum mutationis in interna causa, et quidem libere aut fataliter peractæ, idea comprehenditur.

In causis vero externis, nihil consideret nisi eas ex alio ad alium existendi modum transferri, id habebit quod continetur idea modorum mutationis in externa causa effectæ.

Hæc idea non complectitur ipsius mutationis principium seu rationem effectricem. Mens tamen unum intelligit, illam scilicet mutationem fieri in actuosa natura. Siquidem nihil rerum externarum cognoscimus nisi eas hoc vel illo modo in nos agere, eas aliquid actuosum esse.

Tres ergo sunt quas concipimus mutationum species.

Prima quæ fit nisu substantiæ modum mutanti proprio, et libera dicitur.

Secunda quæ fit causæ externæ impulsu, et dicitur fatalis.

Tertia quæ simpliciter in actuosa natura fieri concipitur.

Nunc de comprehensione ideæ substantiæ.

Illam mens comparat ideam cum illud unice attendit, nempe causam, dum ex alio ad alium existendi modum transit, non dividi, non intermitti, nullo veluti intervallo interrumpi, sed unam atque eandem vim in se permanere.

Diximus duplex esse causæ genus, causæ quidem internæ quæ ipsa est anima intelligens suarum actionum conscia, et externæ causæ quæ ab ipsa intelligente anima distincta est.

Anima sensu intimo percipit seipsam, in suorum

existendi modorum permutatione aliquid, usque retinere quod continuum et idem funditus sit. Ea sensus intimi perceptio directa ipse fons est ex quo petit internæ substantiæ notionem.

Quod ad res externas attinet, eorum modis, qui fluxi mobilesque apparent, plurima quidem esse communia; at non unam et eandem substantiam omnibus subesse percipit.

Quapropter externæ substantiæ notionem mens habere non potest, nisi ex sui ipsius conscientia, rebus externis ad ipsius animæ exemplar effectis compositisque.

Ex iis omnibus intelligere est quid sit communē inter causæ et substantiæ notiones, et in quo discrepent.

Notio causæ est notio vis alicujus actum edentis aut certum habentis existendi modum cujus ipsa, aliquatenus principium est et ratio.

Notio substantiæ est vis alicujus notio ex actu ad alium actum, ex existendi modo ad alium existendi modum ita transeuntis ut, in his distinctis sui habitibus, unā eademque continuetur et perseveret.

Unde manifestum est majorem esse substantiæ quam causæ notionis comprehensionem.

Idea enim substantiæ eadem ac notio causæ complectitur, scilicet ideam modi cujusdam existendi et vis alicujus hunc existendi modum habentis vel etiam edentis. Sed præterea plurima continet quæ extra causæ notionem sunt, nempe ideam modorum numero distinctorum, ideam vis tum transeuntis ex alio ad alium existendi modum, cum perseverantis in sua eadem unitate.

ART. IV. — DE IDEA UNIVERSA SUCCESSIONIS ET INITII.

Ex notione modi ad quem substantia ex alio modo transit, nascuntur ideæ tum successionis, tum initii; de quibus pauca sunt dicenda.

Primo quidem idea sibi invicem succedentium et ipsius successionis nascitur ex modorum commutatorum notione.

Etenim duo sibi invicem succedere concipiuntur cum inter finem existendi unius (quod prius est) et initium existendi alterius (quod posterius esse intelligitur), nihil aliud intercedit, sed unum ad existendum pervenit simul ac alterum desinit existere.

Atqui ille conceptus ex notione modorum quorum ex alio ad alium se transire sentit substantia, exoritur.

Cum enim ex alio ad alium sui modum se transferri anima conscia est, illum modum ad quem transit initium existendi accipere intelligit, simul ac ille modus ex quo abit existere desinit. Initium existendi in posteriori cum fine existendi in priori conjungitur. Quæ duorum sibi invicem succedentium verissima notio est.

At vero, intelligendi vis ad res externas convertatur; duos substantiarum modos perceptionibus successivis comprehendat. Uterque modus intelligitur simul existere ac perceptio qua deprehenditur. Sed cum perceptio quacum simul existit unus, illi perceptioni quacum existit alter succedere concipiatur, eo

ipso unus externæ substantiæ modus alteri modo intelligitur succedere.

Hinc successionis notioni ultimum fundamentum erit cognitio quam mens suorum ipsius modorum habet aliorum alios excipientium.

Ex iis omnibus conficitur successionem ex modorum in eadem substantiæ mutatione concipi; sed præterea ostendi potest alio ex fonte illam hauriri non posse.

Ea enim notio sicut omnes aliæ ex aliqua perceptione duci debet. At vero præter eam quam diximus, quænam perceptio hujus notionis principium esse potest?

Nullam substantiam oriri aut perire mens videt, ut ex conjunctione unius initii cum interitu alterius ideam successionis mutuetur.

Dum vero modos vel sui vel rerum externarum percipit, excepto eo respectu modi illius ex quo substantia recedit ad modum illum ad quem eadem substantia transfertur, nihil in iis modis reperire est quod successionis rationem habeat. Hunc si respectum tollas mentique prorsus subducas, phænomena quidem sigillatim deprehendere poterit, sed nihil in iis detegit quo unum ad alterum referatur, nihil quo universa hæc phænomena successionis ordine colligentur.

Mens ergo res sibi invicem succedere ipsamque successionem non intelligit, nisi ex eo quod substantiam unam eandemque, quæ ipsa mens est, ex alio ad alium modum transire videt. At vero cum hujus mo-

di rem conscientia percipit, causam percipit causæque notionem habet. Non enim ex alio ad alium modum transit, nisi vel proprio conatu vel externæ vis impulsionem. Quod certe intimo sensu novit. Illa autem notio, ut supra ostendimus, causæ effectusque notionem comprehendit.

Unde manifestum est successionis notionem in causæ notione tanquam in ultimo fundamento niti.

Sed dixi præterea ex notione modorum ad quos ex aliis modis substantia transit, nasci etiam initii sive eorum quæ esse incipiunt ideam : quod dictum paucis est confirmandum.

Modus quem substantia recipit, ad quem ex alio transit, concipitur eo non fuisse tempore quum substantia eo se habebat modo ex quo recessit et quem commutavit; fuisse vero concipitur posteriori temporis momento, scilicet quum substantia eo se habuit modo ad quem translata est. Atqui quod certo temporis momento non fuisse et posteriori temporis momento fuisse concipitur, idem intelligitur incepisse, id est ex nihilo sui ad existendum transiisse.

Hanc ergo initii notionem ex notione modi ad quem ex alio modo substantia transfertur ducere possumus, nec ullo ex fonte alio possumus.

Non equidem ex perceptione modi, quum præter id quod diximus nihil in modorum perceptione reperitur quod initii notionem parere possit.

Nec magis ex perceptione substantiæ; nullam enim substantiam existere incipientem, ex nihilo ad existendum transeuntem percipimus.

Hæc de substantiæ, modi, successionis initiique idearum comprehensione dicta sufficiant; nulla in earum extensione explicanda difficultas. Sed quædam hujus capitis corollaria ostendere necesse est.

ART. V. — DE QUIBUSDAM HUIUS CAPITIS
COROLLARIIS.

Ex his quæ de causa et de substantia demonstravimus apparet primo dici non posse cum Kantio et quibusdam aliis philosophis notionem causæ et substantiæ omni sensu priores existere. Siquidem sensu intimo ac etiam externo, idea infiniti collucente, subministrantur.

Nec magis dici potest causæ ideam derivari ex duorum factorum idea, quorum unum semper et ubique alterum consequitur. Etenim, cum eam habemus causæ notionem quæ intimo sensu sufficitur, non modo intelligimus hanc perpetuam factorum consecutionem, sed etiam vim aliquam quæ vel modi quo se alia habet natura sit effectrix.

Præterea causæ notio fons est ex quo illa duorum quæ sibi succedunt notio desumitur, nedum notio causæ ex succedentium notione oriatur.

Denique apparet substantiam non esse vel qualitatum diversarum vel præterlabentium statuum summa, quibus vinculum commune vivumque desit nec subsit vis unica. Modos equidem substantia multos

ac diversos habet aut habere potest, sed communi
vinculo religatos, sed ita continuatos, ut cum alter ex
altero oriatur, aliquid eas devinciatur, quod vere unum
et idem permanet.

CAPUT TERTIUM

De causarum axiome.

- I. Prima axiomatis causarum pars, qua scilicet asseritur omnem modum existere incipientem causam habere cur existat.
 - II. Secunda ejusdem axiomatis pars, qua asseritur nullam incipere substantiam quæ non habeat suam existendi causam.
 - III. Causarum axiomatis consectaria proxima et notæ.
-

PRÆVIÆ DEFINITIONES.

Postquam hinc causæ, hinc modorum commutabilium substantiæque notiones exposui, mihi inquirendum est utrum illud causarum axioma quo eæ conferuntur notiones sit analytica propositio.

Atqui analyticæ propositiones eæ sunt quibus de subjecto prædicatur quod in eo percipitur contineri.

Ceteroquin omnes fere philosophi, ut jam diximus, consentiunt causarum axioma his concipiendum esse verbis : *Quicquid incipit causam habet*; et si qua alia formula proposita fuerit, ad eundem facile sensum revocari potest.

Illud autem quod incipit est modus vel substantia.

Hinc in partes duas idem axioma dividi potest, unam qua omnem modum, alteram qua omnem substantiam existere incipientem asseritur causam habere cur incipiat :

Utraque axiomatis enuntiatio seorsum examinanda est.

ARTICULUS PRIMUS. — PRIMA AXIOMATIS CAUSARUM
PARS, QUA ASSERITUR OMNEM MODUM EXISTERE INCIPIENTEM CAUSAM HABERE CUR EXISTAT.

Ex iis quæ modo diximus de illorum idea quæ initium existendi habent, manifestum est notionem modi existere incipientis duci ex notione modi ad quem ex alio substantia transit.

Idcirco præsens quæstio ad hoc revocari potest, utrum scilicet in notione modi ad quem substantia ex alio transit contineatur et detegi possit illius idea quod causam habet.

Atqui nihil menti propius est, nihil mens magis notum habet quam illos sui ipsius modos qui liberi dicti sunt.

De illis igitur prima sit disquisitio.

Illum sui modum anima liberum intelligit ad quem ex alio se concipit proprio conatu transferri. Sed notio modi qui ex ipsius quam afficit substantiæ conatu oritur notionem causæ continet in hac ipsa substantia existentis.

Hoc est luce clarius; hoc igitur mens videre, et quidem facillime potest; atque dum affirmabit omnem modum ad quem ex alio ipsa libere transit causam habere sibi ipsi internam, iudicium proferet analyticum, quo scilicet de subjecto asseret quod in ipso perspiciet inclusum.

Liberas præter actiones, mens sui etiam modos novit qui fataliter incipiunt.

Quid vero eos esse intelligit? Modos nempe ad quos translata est et se translata sensit causæ externæ impressione.

Quapropter illos etiam, nec magno labore, perspiciet causam habere, illam scilicet quam ipsa recepit externæ vis actionem.

Quod iudicium illa enuntiabit propositione evidenter analytica: omnis modus ad quem ex alio fataliter transferor causam habet.

Verum enim vero et prius iudicium de liberis sui modis, et iudicium posterius de modis necessariis hac una pronuntiatione concludere potest:

Omnis modus ad quem ex alio transeo, libere vel fataliter, causam habet qualemcumque, internam vel externam.

Quæ propositio analytica erit, haud secus ac illæ quas complectitur propositiones.

Sed ex alio ad alium existendi modum nec mens transit nec transire concipitur nisi libere vel fataliter.

Etenim illa ex alio ad alium existendi modum transgressio aliqua externæ causæ in animam impressione efficitur vel non.

Si prius, modus qui recipitur fatalis est et, ex iis quæ supra diximus, fatalis esse intelligitur.

Si posterius, id est si mens, absque ulla externæ causæ impressione, ad modum aliquem transit, ille modus et liber erit et liber esse concipietur.

Age enim, omnis externa actio removeatur; mens ipsa se nihil aliud esse percipit, nihil aliud se esse novit præter vim, præter naturam continua actione præditam.

Atqui talis natura, cum ex modo ad alium modum concipitur transire sine externæ causæ effectû, necessario sua ipsius actione concipitur transferri. In substantia enim, cujus tota essentia in actione posita est, et modus ex quo transit, et modus ad quem transit, et transitus ex uno ad alium modum, actus est et actus esse necessario intelligitur.

At vero modus ad quem ex alio modo anima se propria actione transfert et est et esse concipitur libertate præditus.

Quamobrem ex sui ipsius conscientia et notione intelligit anima se nullum ex alio modum recipere qui non sit liber aut fatalis.

Ceterum ostendimus eam, ex solo modorum conceptu quos libere vel fataliter suscipit, cognoscere modis illis causam esse.

Quid vero ex illis duobus colligere poterit? Illud scilicet : omnis modus ad quem ex alio illa quæ ego sum substantia transit causam habet.

Illam autem propositio analyticam est; siquidem in notione modorum qui animæ sive libere sive fataliter

obveniunt et obvenire possunt inclusa est et inclusa percipitur notio causæ.

Hæc ubi de modorum causa qui in ipsa existere incipiunt perspexerit, se, veluti munita via, conferre poterit ad cognoscendam modorum causam qui externis substantiis obvenire possunt.

Non equidem percipit nec potest percipere, utrum substantiæ externæ, proprio conatu vel externa impressione, libere vel fataliter, ex uno modo ad alium modum traducantur.

In memoriam enim ea revocemus quæ de modo substantias externas cognoscendi supra exposita sunt.

Quid ex iis substantiis directo percipimus? Quid proinde ex iis concipere, quid intelligere possumus? Eas scilicet in mentem nostram hoc vel illo modo agere, eas ex uno ad alium agendi modum transferri; sed quum singulas earum actiones dispicimus, qua ratione ex una ad alteram edendam transeant assequi minime possumus.

Quamobrem hic ostendi non potest illius quod causam habet notionem contineri notione ipsius rationis qua substantiæ externæ modos permutant. Hujus enim rationis cognitio nos fugit. Sed fugiat licet; ipsius substantiæ modos permutantis notionem tenemus; substantias externas novimus esse vires nec eas aliud quidquam esse novimus; eas proinde naturas intelligere non possumus nisi actione præditas.

Hinc primum efficitur, ut illarum substantiarum essentias aliquid prorsus idem ac suam ipsius essentiam æstimet, quæ tota actio est. Unde eas judicare

potest, sui ipsius instar, nonnisi fataliter vel libere ex uno ad alium existendi modum converti; ideoque earum modos semper habere causam cur existere incipiant.

Sed externas substantias cum sua ipsius essentia conferre omittat; quæ collatio argumenti necessarii principium forsitan esse nequit.

At certe substantia quæ nihil nisi vis esse intelligitur, eo ipso concipitur ex modo ad alium modum per causam abire.

Omnis enim modus ad quem substantia externa converti potest in ea existit, vel per externæ vis impressionem, vel sine tali impressione. Hoc manifestum est et ex ipso rerum conceptu necessario perspicitur.

Quod si prius verum erit, causa modi quem substantia recipit, in ipsius modi notione evidenter habetur.

Si vero posterius admitti placet, substantia quæ essentialiter esse actiosa intelligitur propria actione ex modo ad alium existendi modum transire concipietur, ut nuper de ipsa anima diximus, et ibi quoque, in ipso substantiæ quæ modum recipit conceptu, recepti modi causam deprehendetur.

Ex his omnibus liquet, mentem de modis ad quos ex modis aliis substantias externas transire concipit posse sequens illud iudicium proferre : omnis modus ad quem ex alio substantia externa concedere potest causam habet.

Illud autem iudicium manifeste analyticum est; subjectum enim, notio scilicet modorum ad quos ex aliis modis externæ substantiæ traduci concipiuntur,

notionem illius quod habet causam complectitur et perspicitur complecti.

Nunc vero, qua ratione sua judicia de sui ipsius modis tum liberis cum necessariis in unum contraxit iudicium, eadem ratione universa quæ antea exposita sunt iudicia tum de sui ipsius, tum de externarum substantiarum modis in unum conferat; sequentem efficiet propositionem: omnis modus ad quem ex alio substantia quælibet transire potest, seu quod in idem recidere supra diximus, omnis substantiæ modus qui existere incipit, causam habet.

Hæc etiam propositio analytica erit, quum in conceptu modi qualiscumque existere incipientis sive libere sive fataliter includatur notio alicujus causæ sive internæ sive externæ.

At vero illa propositio eadem omnino est ac secunda axiomatis causarum pars, quæ ideo analyticum esse iudicium demonstratur.

Hæc omnia quæ paulo fusius disseruimus ostendunt qua via ad primam hanc axiomatis nostri enuntiatiōnem perveniatur et cuius utilitatis esse possit.

Mens aliquod phænomenon quod experientia cognovit, videlicet sui ipsius vel substantiæ externæ modum, considerat scrutaturque, ut proxime explicavimus.

Illius nimirum modi conscientia vel sensibus externis percepti proprietates dispicit, alias ex aliis persequitur, atque ita sibi notionem effingit qua præcipuas ejusdem modi notas comprehendit. verbi gratia,

quod esse incipiat, quod ad eum substantia ex alio modo transferatur, etc.

Postea hanc notionem explicat, proprietates ea comprehensas propius inspicit, attentaque disquisitione id assequitur, ut remotissima quæque rei elementa discernat et asserere possit. Hic, verbi gratia, in eo quod concipit alicui modo proprium esse ut inceperit, eidem modo detegit proprium esse ut causam habeat.

Qui labor haud certe difficilis, idemque utilissimus.

Namque, quoties postea mens conscientia vel sensibus externis modum esse incipientem percipit, illico sine ullius disquisitionis fatigatione, revocata tantum illa quam prius detexit veritate, cognoscit hunc modum causam habere cur existat.

Hæc hujus propositionis analyticæ, quam primam axiomatis causarum partem diximus, origo; hæc ejus utilitas.

ARTICULUS SECUNDUS. — SECUNDA AXIOMATIS CAUSARUM
PARS, QUA SCILICET ASSERTITUR NULLAM INCIPERE SUB-
STANTIAM QUÆ NON HABEAT SUAM EXISTENDI CAUSAM.

Ut detegatur utrum illa propositio analytica sit, id est, utrum hujus propositionis subjecto (quod est notio substantiæ esse incipientis) attributum (causæ scilicet idea) contineatur, reputandum est unde hæc incipientis substantiæ notio habeatur, et quænam comprehendat.

Quamlibet distinctam notionem diximus ex percep-

tione aliqua, duci idea infiniti collucente. Nulla vero percipitur substantia initium existendi habere. Ideo initii hujus notio non potest ex tali perceptione originem trahere.

Sed modos modorumque proprietates percipimus. Atqui ex ea perceptione, duplici via, ad notionem substantiæ existere incipientis perveniri potest.

Primo quidem ita substantiarum modos percipimus, ut substantias ex uno ad alterum existendi modum converti cognoscamus. Ex illa cognitione derivatur, ut supra ostendimus, modi notio qui ex alio principium existendi habet; sed ex illa si removerimus quidquid modi rationem exhibet, ideam habebimus illius quod ab alio existit. Quam cum notioni substantiæ conjunxerimus, effecta erit notio substantiæ ab alio existentis.

At vero substantia quæ intelligitur causam existendi sibi externam habere, eo ipso initium existendi habuisse intelligitur. Externæ enim causæ actus, quo ad existendum perducta est, prior necessario concipitur illo temporis momento quo primum extitit. Unde efficitur ut mens eam intelligat substantiam certo temporis instanti non fuisse, posteriori vero instanti fuisse: quæ sincera est ipsius inceptionis notio.

Præterea, notio illius quod incipit duci potest, ut supra vidimus, ex notione modi ad quem habendum substantia ex alio traducitur. Hanc cum mens habuerit, ex illa rejiciat quicquid modi ideam refert, sola restabit inceptions idea, quæ cum substantiæ notione

conjungi potest; sicque parabitur substantiæ initium habentis notitia.

At vero illa incipientis substantiæ notione, utroque ex fonte orta sit, certum est includi notionem illius quod causam habet.

Hoc imprimis manifestum est, si notio substantiæ incipientis ducatur ex ipsa notione ab alio existentis substantiæ, quum ab alio existere idem sit ac causam habere.

Idem vero perspicuum est, si notio substantiæ incipientis ex incipientis modi notione derivetur. Hæc enim idea aliam incipiendi rationem menti exhibere non potest ac eam qua modi ipsi incipere noscuntur. Sed, ut jam diximus, modus eo solum concipitur incipere quod rationem existendi ducere concipitur ex aliqua re alia, scilicet ex alio præcedenti modo quem substantia sive nisu proprio sive impulsione vis externæ commutat.

Ita facile apparet incipientis substantiæ notione, qualicumque ex fonte desumpta sit, causæ notionem includi; ideoque analyticam esse illam nostri axiomatis partem qua pronuntiamus omnem substantiam quæ existere incipit causam habere cur existat.

Quid vero prodesse potest hujus generis axioma?

Modo dixi quamnam utilitatem ex prima axiomatis parte intellectus percipere possit. Ea utilitas ex ipsius axiomatis origine intelligitur. Etenim illius primæ propositionis analyticæ subjectum notio est quæ, cum ex sensibus externis vel internis eruta sit, rem exhibet quæ iterum sensu deprehendi potest. Ex quo illud

efficitur quod ostendi, nempe ut quoties mens reperiatur modum existendi initium habere, statim, axiomatis illius luce, cognoscat hunc modum causam habere cur incipiat.

Ubi vero de posteriori axioma agit, res se longe aliter habet. Nullam enim mens substantiam incipere percipit. Ex quo primum sequitur ut notionem substantiæ incipientis ex hujus perceptione non possit concipere; deinde ut nunquam locum habeat illius axiomatis adhibendi. Cum enim nullius substantiæ initium deprehendat, nunquam ex substantiæ initium habentis cognitione ad ejusdem substantiæ causam agnoscendam, laudati axiomatis luce, perducere poterit.

Quæ omnia demonstrant secundum ex propositionibus, in quas causarum axioma resolvimus, analyticam quidem esse, sed nullum usum habere, nec proinde inter vera axiomata, id est cognoscendi principia et fontes reponi debere.

Et sane si propius inspexerimus argumenta quibus ratio ex re perspecta ad ejus causam cognoscendam se erigit, ea reperiemus in alio axioma, vel potius in aliis hujus de causa axiomatis formulis fundari.

Illæ quidem formulæ duæ sunt, quarum una omnem substantiam quæ modos existendi commutat, altera omnem substantiam quæ aliquo modo imperfecta est et finita, causam existendi habere asserit.

Sed illæ duæ ad unam revocari possunt enuntiationem, in qua scilicet subjectum sit aliquid simplex et idem.

Quæ enim substantia modos commutare cognosci-

tur, eadem concipitur imperfecta. Ea nempe modum existendi commutare non potest, nisi actum magis vel minus perfectum quam antea edat. Illud autem ea tantum vis efficere potest, quæ aliqua ex parte deficiat, quæ scilicet non semper habeat quidquid perfectionis est.

Hæc omnia ita sunt inter se connexa, ut unum sine altero, verbi gratia, commutationem modorum sine illius imperfectione quod modos existendi commutat, concipi non possit.

Satis ergo erit examinare utrum sit evidens imperfectam substantiam non existere nisi per causam externam, et propositionem qua id asseritur analyticam esse.

Qui nodus ut solvatur, hac primum uti possumus argumentatione.

Imperfecta substantia existit per causam externam vel sine tali causa. Ex his duobus alterum manifesto necessarium est. Sed existere sine causa externa idem est ac per se existere. Quid est enim sine causa externa existere, nisi nullius externæ vis efficientia, nullius externæ vis auxilio, sed per se solum existere? Unde perspicuum est substantiam imperfectam necessario existere per se vel per causam externam.

Atvero quæ per se existit substantia perfectissima est. Etenim, ut ait quidam recentior, non nullius nominis philosophus : « Quidquid est, ita præcise est et non aliter. Ergo quod dat ut aliquid sit, etiam dat ut ita sit : atqui entī *a se* dat ipsa ejus essentia ut sit ; ergo ejus essentia etiam dat ut ita sit et non aliter.

Ergo en *a se*, quidquid est vel habet, est vel habet vi et necessitate essentiae suae; et quidquid non est vel non habet, vi et necessitate essentiae suae non est vel non habet; seu quidquid non habet, excludit a se, id necessario exigente essentia sua : atqui essentia nihil exigit necessario excludi, nisi quod repugnaret seu contradictionem poneret in essentia. Ergo ens *a se* habet omnes realitates, quæ mutuo non repugnant seu sibi non contradicunt : atqui nullæ realitates in se spectatæ sibi repugnant. Ergo ens *a se* habet omnes realitates in se spectatas et hinc absque omni defectu; ergo est ens realissimum » seu perfectissimum. Ita P. Rothenflue post Suarez, Clarke, La Luzerne recentioresque alios.

Unum illo de argumento notare liceat.

Etsi propositio, quæ illa efficitur conclusione, certissima habeatur, negari non potest longam in ea reperiri rationum concatenationem, quarum nexum universitatemque complecti difficillimum est; ac primo aspectu conclusionem quæ ex iis rationibus colligitur evidentem non fieri, nec intellectus statim rapere assensum, ideoque inter axiomata numerari minime posse.

Aliud vero in promptu est argumentum multo simplicius, quod sic se habet.

Nulla mens ad rationem pervenit quæ ex sui ipsius conscientia ideas tum causæ, tum substantiæ non desumpserit. Eas notiones ita conjungere potest ut uno conceptu causam quæ sit substantiæ effectrix com-

prehendat. Ea est quam proprie causam creatricem vocamus.

At vero mens quæ hujusmodi causam cogitat, conjunctim finiti et infiniti notionem habet, sine qua notione nulla esse cogitatio potest.

Ex iis efficitur ut idem intellectus hinc finitas substantias infinitamque naturam, hinc causam creatricem, uno veluti conpectu assequatur et simul re-putet.

Quid autem inde sequetur? Id scilicet, ut eas complexus notiones naturali sciendi studio conferat, nec modo inquirere possit, sed suæ ipsius naturæ impulsu ad reapse inpuirendum feratur utrum infinita natura substantias finitas creaverit.

Quam quæstionem examinanti statim apparebit illam efficientiam qua infinita natura substantias a se distinctas finitasque ad existendum perduxisset, summumque et universale dominium quod hanc efficientiam consequeretur, esse aliquid revera boni et perfecti.

Sed quod infinitum concipit, idem et perfectissimum esse intelligit.

Infinitam ergo substantiam esse cognoscet mutabilis et imperfectæ substantiæ effectricem. Proinde perspiciet ea omnia quæ ab infinito substantialiter secreta sunt, ea omnia quæ sunt caduca, fugitiva, mutabilia, id est aliquo modo finita, causam existendi habere externam.

Nunc vero illam expendamus quam sic colligere potuimus enuntiationem.

Analytica propositio est. Attributum enim, ut videre est, in ipso subjecto reperitur. Mens, notione creandi comparata, si finitum cum infinito, ut ostendimus, contulerit, statim in ipsa infiniti idea detegit ideam efficientiæ quæ finitas res ex nihilo ad existendum perduxit.

Illudque sine magna difficultate detegere potest, ut illi apparebit qui nostram argumenti præcedentis expositionem perpendere voluerit, nec illud obliviscetur, hic nihil aliud agi nisi ut mens veritatem axiomatis assequatur, nec requiri ut singula rationum momenta attentius expendat, aut exponere possit qua via ad veritatem consequendam pervenerit.

Præterea hic habetur cognoscendi principium. Ubi primum intellectus, dictis ratiociniis vel maxime tacitis implicitisque, hoc axioma sibi perspicuum fecerit, ipsi præsto est potentissimum sciendi instrumentum. Nos enim innumera circumstant inanima alia, alia quæ sentiunt, quæ ratione utuntur alia. Ea omnia videmus ex uno habitu ad habitum alium transferri, hoc amittere quod tenebant, quod non habebant adipisci, undique præ se ferre defectus signa, et se omni ex parte finita ostendere. Hæc quidem continuis perceptionibus intuetur mens. Ubi vero illas substantias mutabiles finitasque cognoverit, statim, sine ullo ratiociniorum ambitu, sola sui axiomatis luce, eas causam habere externam qua existant, intelliget.

Atqui propositio quæ, cum sit fons cognoscendi et principium, ipsa primo adspectu perspicua est eademque analytica, merito axioma dici potest.

Hic ergo verissimam causarum axiomatis formam, quatenus ad substantiarum originem respicit, tenemus.

Ex iis omnibus colligi potest hoc axioma in duas necessario dividi propositiones, quarum altera enuntiatur nullum existendi modum incipere quin causam existendi habeat; altera vero affirmatur nullam existere finitam substantiam cui non sit externa existendi causa.

Nunc ad quæ se causarum axiomatis, hac duplici forma concepti, extendat utilitas paucis explicandum.

Sed antea breviter exponere necesse est prima huius axiomatis consectaria, tres scilicet propositiones quæ illud proxime consequantur; deinde notas universalitatis et necessitatis quibus insignitum intelligitur.

ARTICULUS III. — CAUSARUM AXIOMATIS CONSECTARIA
PROXIMA ET NOTÆ.

- I. Primum consectarium, de modorum fataliter incipientium causa.
- II. Secundum consectarium, de agendi modo qui substantiis necessitate devinctis proprius est.
- III. Tertium consectarium, de eo quod dicitur principium inductionis.
- IV. Quartum consectarium, de causis quæ finales dicuntur.
- V. Axiomatis causarum notæ.

§ I. — *Primum consectarium, de modorum
fataliter incipientium causa.*

Prima ex propositionibus quæ causarum axioma proxime consequuntur hæc est :

Omnis modus qui fataliter incipit causam substantiæ hunc modum recipienti externam habet.

Equidem omnis modus ad quem ex alio modo substantia traducitur, ex dictis, causam habet externam vel internam. Atqui ex ipso conceptu modi fataliter suscepti demonstrare est illum modum habere non posse causam internam.

Illa enim causa interna quid esse posset? Nihil aliud nisi antecedens modus, id est modus ipse ex quo substantia recedit, vel aliquis conatus quem ea ederet sub-

stantia, postquam illo modo præcedenti composita est
At vero neutrum dici potest.

Non equidem prius.

Tunc enim modus posterior a priori non foret distinctus. Age enim, prior ille modus sit causa tota et perfecta illius quem posteriorem dicimus. Posita causa tota, id est perfecto toto quod causæ rationem habet, simul ponitur, simul perficitur effectus, ille saltem effectus qui in causa efficiente concluditur. Posito igitur priori modo, poneretur simul et posterior; posterior non succederet priori, sed cum illo existeret. Modus ex quo, et modus ad quem substantia transit, substantiam uno atque eodem temporis instanti afficerent; quæ omnia inter se manifeste pugnant.

Nec posterius dici potest.

Si enim modus ille causam suam in conatu a modo cui succedit distincto haberet, ex dictis liber foret, non autem fatalis, ut supponitur.

§ II. — *Secundum consecrarium, de agendi modo qui substantiis necessitate devinctis proprius est.*

Sic se habet secunda ex propositionibus quæ causarum axioma proxime consequuntur :

Substantia quæ fataliter agit, in iisdem circumstantiis eadem semper agit.

Etenim quod semel egit, illud impressionis externæ vi egit, ideoque illam fataliter egisse concipimus.

Quod si in iisdem circumstantiis, id est eadem impressione recepta, aliquid diversum ageret, illud manifeste non hujus externæ impressionis vi, sed vi propria, proprio aliquo conatu efficeret. Atqui hujus modi actus non fatalis, sed liber esset. Hoc autem cum illo quod positum est omnino discrepat.

Si igitur se intra limites efficientiæ fatalis continuerit, nihil efficiet, præter id quod in iisdem circumstantiis jam effecit.

Hujus propositionis consequens est, causam necessitate astrictam, in iisdem rerum adjunctis, semper eosdem effectus antea produxisse vel postea producituram esse.

Sed consequens non est effectus qui iisdem in iisdem circumstantiis semper deprehenduntur, a causa necessaria et fatali esse. Namque liberæ causæ in iisdem circumstantiis possent etiam eadem perficere. Diversa quidem in iisdem rerum adjunctis sæpe edunt, sed ad diversa nulla necessitate constringuntur.

Sumus tamen ad id quam maxime propensi, ut causas quæ eadem in iisdem circumstantiis semper agunt necessitati subjectas esse judicemus. Nos scilicet sentimus non modo liberos esse, sed etiam, libertatis nostræ vi, nostram actionem in iisdem rerum adjunctis usque variare. Inde quo frequentius alicujus causæ actionem circumstantiis exæquatam esse videmus eandemque in iisdem rerum adjunctis recurrere, eo magis verisimile nobis videtur hujus causæ nullam esse libertatem. Quin etiam ea verisimilitudo fieri potest ut nullus nobis dubitandi locus relinquatur.

§ III. — *Tertium consecrarium, de eo quod dicitur
principium inductionis.*

Hæc inductionis principio vis inest ut mentem, postquam facta observavit plura vel pauciora, sed ea numero et loco temporeque finita, et certas factorum illorum adnotavit circumstantias, impellat ad concludendum in circumstantiis iisdem eadem facta semper et ubique edita aut edenda esse.

Quod qua ratione mens efficiat explicandum.

Imprimis quædam evenire intima conscientia vel sensibus externis percipere potuit.

Dein, luce causuram axiomatis admota, ipsi haud difficile fuit intelligere causas existere cur hæc evenerint, nec tamen ideo quæ et quales illæ causæ sint cognovit.

At vero perceptos eventus advertere potuit certis eorum circumstantiis ita connecti, ut, exempli gratia, eventus illi his absentibus circumstantiis abfuerint; positis circumstantiis vel remotis vel immutatis, statim positi eventus vel remoti vel immutati.

Inde se prior intellectui aperit via, quam supra ostendimus : scilicet quotiescumque iterum sibi repræsentabit aut percipiet circumstantias prius observatus, statim, impellente consociatarum idearum vi, concipiet illis circonstantiis factum annecti quod annexum priori experientia cognovit.

Sed aliquid majus altiusque, ubi causarum axioma instructa est, mens aggredi valet.

Etenim quæ sit causa vere efficiens, quænam inter causas veras eorumque effectus intercedant connexiones jam intellexit. Atqui eas ipsas connexiones reperiat inter quosdam perceptos eventus et adjectas circumstantias; inde colligere poterit eorum causam eventorum has ipsas esse circumstantias.

Fieri equidem posset, ut percepta facta causam aliam haberent, nostris sensibus abditam, fortuitoque casu inter illa facta certasque eorum circumstantias ipsa intercedissent vincula quæ causis effectus religare solent.

Sed quo sæpius ea facta iisdem rerum adjunctis concurrerunt, eo magis verisimile efficitur concursiorem hanc non cæco casu fieri, sed revera factis illis id eas circumstantias esse quod suis effectibus causæ sunt; tantaque verisimilitudo haberi poterit, ut invicta vi rapiatur mentis assensus.

Illud igitur cognoscit intellectus, quorundam factorum quæ percepit perceptaque observavit non modo causam existere aliquam, sed eam causam esse singularem quamdam circumstantiam, certum quoddam phænomenon quod iis factis constanter adjunctum esse vidit. At vero novit effectum, idonea semel posita causa, necessario gigni.

Exinde perspiciet ea facta quorum habet notionem extitisse prius posteriusque reditura, quoties et ubicamque eadem se dederit circumstantia, idem prodierit phænomenon quod iis jam factis causa fuit.

Hæc illatio ipsa est nostra inductio, eique suppositum esse causarum axioma manifestum est.

§ IV. — *Quartum consecrarium, de causis quæ dicuntur finales.*

Tertium corollarium ad illud spectat quod rerum finem dicimus, duplicique formula concipitur.

Altera pronuntiamus nihil in mundo nisi propter certum finem existere.

Altera vero pronuntiamus quæcumque in mundo propter certum finem existunt ab intelligenti causa effecta esse.

Hæc duo effata consequuntur secundam axiomatis causarum partem, qua universas mundi substantias infinitæ Causæ, qui Deus est, creaturas esse affirmatur.

Etenim conscientia non modo quid sit agere, sed etiam quid sit propter certum finem agere novimus. Quotidie aliquid efficiendum nobis proponimus. Ut consilia perficiamus proprium corpus huc et illuc convertimus, res nobis externas aliis aliisque modis disponimus; ceteros homines precibus, minis, præmiis, castigationibus sollicitamus, flectimus, impellimus. Quæ omnia dum veluti in luce conscientiæ peragimus, quid sit finis, quid sit finem petere, quid sit omnia ad consequendum finem intendere comperimur.

At vero intelligimus perfectius esse omnia, alicujus

finis causa, perficere quam sine proposito fine et fortuito agere. Quippe qui certum finem actibus suis petit rationem adhibet; qua ratione nihil in nobis, nihil in optimis naturis excellentius est.

Imo vero causas quæ finem sequuntur, eo perfectius agere judicamus, quo perfectius actus suos, sua opera ad quæsitum finem disponunt. Videmus enim in earum accomodatione aptiori majorem sese explicare rationis vim.

Atqui Causa, qua naturales mundi substantiæ ad existendum eductæ sunt, non modo intelligens est et rationis particeps; nihil in ipsa reperire, nihil concipere possumus quod non sit intellectus et summa ratio.

Eam igitur Mentem, quam perfectissimam necessario concipimus, certum finem, dum naturas quibus constat mundus crearet, sibi proposuisse intelligimus ad quem omnia et singula direxerit.

Ex eo perspicitur omnia quæ in mundo existunt certum propter finem existere. Ea enim omnia creaturas esse Dei novimus, qui nihil nisi propter certum finem effecit.

Ex eo etiam manifestum fit, omnia quæ in mundo ad certum finem apte esse disposita et efficaciter tendere reperiuntur esse intelligentis causæ opus.

Etenim vel eæ causæ, quæ simul ad aliquid efficiendum conspirant, intelligentes sunt et sua ipsarum actione sese volentes scientesque ad hunc finem convertunt; vel easdem causas, qualiscumque sit earum actio, causæ aliæ intellectu præditæ ad unum eundemque finem prudenter impellunt; vel demum



eādem causæ, cæco prorsus impetu nec ulla prorsus ratione, ad suum finem contendunt.

In primo et secundo casu, earum rerum consensus ad aliquid unum perficiendum intelligentis causæ manifesto effectus est.

In tertio casu, idem consensus naturam consequitur quam eæ causæ sortilæ sunt. Quis vero hujus naturæ auctor, nisi Causa prima et suprema Ratio, nempe omnium rerum creator Deus?

Quare intelligi necesse est nihil in rerum universitate propter finem effici quod non sit alicujus vis effectus intelligentis.

§ V. — *Axiomatis causarum notæ.*

Illæ notæ sunt necessitas ac universitas. Utramque ex ipsa axiomatis analytica forma consequi minime obscurum est.

Ac primum qua de re intelligimus necessarium esse ut quicumque modus esse incipit, causam habeat?

Propterea scilicet, quia modi esse incipientis idea ideam illius quod causam habet includit. Illud mens verum esse percipit; ac si voluerit ab eo quod existere incipit id quod causam habet sejungere, rem nullo modo posse perfici videt, quum unum sit alteri essentialiter connexum.

Haud alia ratione necessarium esse intelligitur, ut substantia finita quæcumque existendi causam externam habeat. Etenim, ut vidimus, notio naturæ infi-



nitæ ideoque perfectissimæ includit notionem causæ cujus vi ipsa finita existunt, nec ullo modo, quocumque se vertat mens, ab idea infiniti ideam separare poterit illius causæ quæ finita ex nihilo creavit.

Nec difficilius explicatur ejusdem axiomatis universalitas.

Quodcumque enim tempus, quicumque locus mente effingatur, semper et ubique verum erit ea quæ existere incipiunt, ea quæ finita sunt, causam habere. Ab omnibus spatii temporisque discriminibus veritas illa soluta esse, in locos omnes, in omne tempus valere intelligitur.

Eas universitatis et necessitatis notas sensus sufficere nequit. Sensus enim nihil apprehendit quod sit necessarium et prorsus universum.

Ideo, quamvis conscientia et externus sensus non nihil, ut ostendimus, mentem, dum ea axiomata concipit, adjuvant et suis rerum veluti confirmant indiciis et repræsentationibus; attamen quæ referunt, quæ docent, hujus axiomatis fundamentum non sunt. Omnis ejus vis ex eo ducitur quod mens rationalis primitus de infinito novit. Hinc enim, ut patet ex antea dictis, ideas effingimus quæ in universum omnino pateant. Hinc, illis expositis ideis, effata proferimus quæ universa et necessaria sunt.

CAPUT QUARTUM

De causarum axiomatis usu.

- I. Quid rationalis anima, causarum axiomatis vi, possit de corpore sibi conjuncto cognoscere.
 - II. Quid de sensilibus substantiis quæ proprio corpori externæ sunt.
 - III. Quid de ipso Deo.
-

ARTICULUS I. QUID RATIONALIS ANIMA DE CORPORE SIBI CONJUNCTO POSSIT, ADHIBITO CAUSARUM AXIOMATE, CO- GNOSCERE.

Propositum mihi non est omnia persequi quæ ex hoc axiome inferri possunt; hæc enim sunt prope infinita, ac verissime pronuntiatum est causarum axioma philosophiæ fere totius parens esse.

Unum hic intendo, nempe paucis explicare qua ratione mens, axioma illud adhibendo, perveniat ad præcipua quædam cognoscenda cum de mutabilibus substantiis quibus hic constat mundus, tum de Causa suprema ex qua pendere illas mutabiles substantias semper judicatum est.

Perceptionibus directis, mens imprimis novit suas ipsius actiones diversosque existendi modos.

Deinde ex suis actibus notavit libero arbitrio alios, alios fato fieri; et qui necessitate continentur, in iisdem rerum adjunctis, eosdem semper renasci; qui autem liberi, usque variare.

At vero hujusmodi perceptionibus non se suosque affectus solum novit, sed etiam externas quasdam actiones, quibus ipsa afficitur; causam, cujus actiones illæ sunt; diversas hujus externæ causæ, sui nimirum corporis, partes.

Quin etiam novo cognoscendi principio, scilicet consociationis idearum legi innixa, reperit diversas sui corporis partes sese reciproca actione percellere; actiones quas partes aliæ in alias habent directas esse vel indirectas, præsentis vel magis aut minus remotas; ex hujusmodi actionum varietate, illum effici præsentis distantisæque ordinem, quo inter se componuntur corporis elementa substantisæque extensæ speciem intellectui sufficiunt.

Nunc vero ea omnia omittamus quæ vel percipiendi vel ideas consociandi facultate mens acquisivit; vel potius, iis notionibus veluti inchoato ædificio, exploremus quid, comparato causarum axiome, superstruere possit.

Ubi semel intelligentiam cepit, nulla non advertit anima corpus quocum conjuncta est diversasque hujus corporis partes, in iisdem circumstantiis, eadem semper agere. Brachium, verbi gratia, aliqua voluntate moveam: hoc motu totum brachium, ex certo statu ad statum alium transfertur; alio ac antea modo se

habet ad ceteras corporis partes, ipsæque brachii particulæ alio atque antea modo inter se comparantur; novo hoc modo compositum corpus in animum certam habebit actionem, quam ante non habebat.

Atqui postea anima eandem ac prius edat voluntatem; brachii idem motus erit; brachii ejusque partium, quæ eodem modo inter se et ad ceteras corporis partes comparabuntur, eadem in animum actio: quod est idem, in iisdem circumstantiis, agere.

Quod ubi iterum atque iterum experta est, eorum quæ corpore cum iis quæ animo efficiuntur comparatione facta, magnopere inclinatur ad libertatem ex corporeis actionibus removendam; atque, quo pluribus experimentis hanc efficientiæ corporalis constantiam et unitatem comprobavit, eo magis singulas corporis actiones necessitate perfectas credit; nec longo tempore ad id pervenit ut easdem liberas esse minime credere possit. Omnem denique corpori suo abjudicat libertatem illiusque actionem ineluctabili fato semper et ubique servire certissimum habet.

Illa equidem illatio non est omnino necessaria nec ipsis rerum notitiis innititur, siquidem idea eorundem in iisdem circumstantiis effectorum non includit eorum causæ necessitatem. Causæ enim liberæ et ipsæ, in iisdem circumstantiis, eosdem possunt habere actus.

Ad illam tamen illationem, ea quam supra explicavimus ratione mens ineluctabiliter¹ cogitur.

Hæc ubi mens intellexit, illam nimirum substan-

1. Cap. III, art III, § 2, p. 95.

tiam vel potius substantiarum concretionem quæ directo in eam agunt propriumque ipsius corpus dicuntur non nisi necessarium et fatalem actum habere, illa utitur causarum axiomatis parte quæ ad effectus necessarios respicit.

Iis ergo phænomenis quæ suum sibi corpus exhibet intenta, actus habitusque videt diversorum corporis elementorum commutari. Earum commutationum, ex primo supradicti axiomatis corollario, causas externas existere statim colligit.

Deinde quænam sint illæ causæ inquit.

Aliqua corporis parte, A, verbi gratia, sæpius observata, certos ejus actus motusque ita certis alterius partis B modis habitibusque connexos esse animadvertit, ut illis partis A motibus redintegratis vel commutatis vel omnino sublatis, statim hi partis B habitus vel redintegrentur vel commutentur vel tollantur.

Illam omnia dum perspicit mens, partis B habitibus motus partis A connecti intelligit iisdem vinculis ac suis effectibus causæ connectuntur. Exinde, illo quod supra descripsimus¹ inductionis principio supposito, concludit illos motus eorum habituum reipsa causas esse.

Ea ratione, ea certissima via perspicere potuit quæ corporis pars in quamque partem efficienter agat.

Hinc facultatem obtinet primo discernendi utrum hæc aut illa pars in partes alias directam actionem habeat an indirectam, deinde utrum diversa hæc

1. Cap. III, art. III, § 3, p. 95.

substantiæ corporeæ elementa sint alia aliis præsentia vel alia ab aliis magis minusve distent.

Ea dimensionis spatiique ratione peragi credimus propositam a philosophis quæstionem de extensorum notione hujusque notionis fundamento.

Apparet imprimis illud in ipsius intellectus natura reponi nequitiam debere.

Intellectus equidem, postquam certas corporis partes distinxit, ipsum partium ordinem, protinus et ipsa natura duce, discernit. Illo enim, quem supra notavimus¹, generali sensu semper perseverante, nostram cognoscendi vim intentius vicissim in caput, ex capite in collum, ex collo in pectus vel alia corporis membra, sponte dirigimus. Atqui dum mentis acies, verbi gratia, ex capite in collum intenditur, ex totius corporis sensu comperimus nihil inter caput et collum medium esse, nihil, mente ab uno ad alterum transeunte, omitti. Unde fit ut collo caput tangi et eidem esse præsens intelligatur. Dum vero ex capite in pectus perfertur animi attentio, ex eodem totius corporis sensu comperitur aliquid inter hæc duo omitti et medium aliquid esse, collum scilicet. Unde fit ut intelligatur a pectore caput distare : cujus distantiae ipsum collum mensura est.

Hæc omnia videndi, discernendi, judicandi facultas nobis inest. Sed non ideo hæc omnia judicandum est nostra tantum in facultate fundari, nec, verbi gratia, caput collo præsens esse aut a pectore distare

1. Cap. I, art. II, § II, p. 43.

ex eo quod mentis intentio, dum a capite ad collum defertur nihil reperiatur, dum vero defertur a capite ad pectus, aliquid advertatur esse inter utrumque, scilicet collum. Mens sane unum alteri præsens esse aut unum ab altero distare non intelligit, nisi ex eo quod inter utrumque nihil aut aliquid advertatur esse; at vero non animi adversio, sed res animadversa præsentiā aut distantiam, id est extensionem, efficit; sæpius enim nullo aut nonnisi obscurissimo modo advertit nihil inter caput et collum, aliquid vero inter caput et pectus positum esse, cum ex uno ad alterum attendendum se convertit. Quis autem dicat nullo tunc modo aut nonnisi imperfectissimo caput collo præsens esse, et idem a pectore distare? Quocirca admittendum est distantiam et præsentiā corporearum inter se partium, id est ipsius corporis extensionem habere fundamentum in re, nempe in ipsis causis seu viribus quarum efficientia noster animus commovetur, et quarum universitas nostrum dicitur corpus.

Quanam vero ratione concipi potest vim unam ad alteram vim referri et ordinari, non ex intellectu considerante, sed ex ipsa re intellecta? In eo quod non nisi ut vis et sola ex efficientia cognoscitur, nihil præter vim et efficientiam conquirendum est. Ex his ergo, id est ex mutua et reciproca earum rerum efficientia, omnem ordinis rationem desumere necesse erat. Quod quomodo effici potuerit, superius cap. I, art. V, § I, p. 60, demonstrare tentavimus.

ARTICULUS II. QUID, AXIOMATIS CAUSARUM VI, MENS DE
SENSIBUS SUBSTANTIIS QUÆ PROPRIO CORPORI EXTERNÆ
SUNT COGNOSCERE POSSIT.

Mens, ex dictis, obscurius saltem novit corpus quod ipsam proxima et continua actione afficit necessitate regi. Atqui, ut secundo causarum axiomatis consecratario declaratum est, causæ necessitate devinctæ, idem in iisdem circumstantiis non possunt non efficere nec suam efficientiam motumve per se unquam commutare valent.

Age porro, animus, ubi hæc de corporis actione cognita habuerit, aliquid novi et insolentis ex certa corporis parte accipiat, — aliquam, verbi gratia, tactus, visus, auditus cæterorumve sensuum commotionem, — quod, cum ipse et corpus se simili modo haberent, numquam est expertus; hæc illa novitas et insolentia externas res cognoscendi principium et fons erit.

Hic enim causæ necessariae, nempe alicujus nostri corporis partis habetur effectus; qui, ex primo causarum axiomatis consecratario, suam causam habet extra hanc corporis partem.

Illa vero causa non potest esse aliqua actio animæ aut ceterarum corporis partium quæ antea, cum se eodem modo haberent, nihil unquam tale effecerunt.

Assecuti igitur sumus causas non modo extra animam, sed etiam extra corpus positas, quæ singulorum sensuum organa permovent et res dicuntur sensibi-

les, tactiles, aspectabiles, odoræ, sapidæ vel canoræ.

Ut semel eas res vel causas existere cognovit intellectus, easdem esse numero distinctas dispicit.

Sic, quum palpo tabulam, singulæ manus partes commutantur; uniuscujusque partis distincta est commutatio, ab alterius partis commutatione soluta, ita ut sine ea existere et perseverare possit. Supradictorum axiomatum vi impulsus, iis effectibus qui in corpore deprehenduntur externas causas tribuo, singulisque et divisis et solutis effectibus singulas pariter divisas et solutas causas.

Postquam intellectus res externas pluribus vidit constare partibus, eas partes, nec magno labore, dignoscit, ut supra ostensum est, certum inter se habere presentiam distantiamque ordinem.

Quæ cum intellexerit mens, corporum externorum varias amplitudines vel extensiones cognoscet. Deinde ex ea peculiarium extensorum seu corporum cognitione ideam indefinitæ extensionis seu spatii, eadem ratione et opera ac ceteras notiones universas, educet.

At vero illa corpora proprio corpori aliena non modo multis divisa esse partibus spatioque ordinata, causarum axiomatis luce, advertit; sed etiam, cum ea semper eosdem in iisdem circumstantiis motus habere videt, ineluctabili etiam necessitate semper et ubique constricta esse judicat.

Deinde, postquam deprehendit necessariam esse externorum corporum efficientiam, illo veluti instru-

mento munita, quænam causa sit singulis corporum motibus cognoscere potest.

Ubi enim videt certos in iis corporibus motus, quotiescumque quædam rerum adjuncta eadem sunt, eosdem fieri; mutari vero aut tolli, quotiescumque mutantur vel tolluntur ea rerum adjuncta, æstimat horum motuum causam in his rerum adjunctis sitam esse.

Merito enim ex necessitate quam his corporibus inesse novit, eorum motus causa externa concludit excitari; atque ex eo quod ii motus cum certis quibusdam rebus semper, cum aliis vero quibuslibet nunquam jungantur, eam causam externam nonnisi in iis rebus usque convenientibus reperiri.

Hinc exploratum habet illud quod naturæ legem dicunt. Quum enim cognovit quid semel corpus vi fatali egerit, et quam causa ad illud agendum impulsus fuerit, jam scit quid idem corpus ejusdem causæ impulsu et per tempora superiora omnia egerit et per futura acturum sit.

Præterea, singulas singulorum materiæ motuum causas cognoscere non potest, quin mox comperiat maximas esse in natura motuum veluti concatenationes, id est plurimos ita continuari motus, ut alter qui prior alterius qui posterior dicitur causa sit, et universi ad unum eundemque effectum ultimum conspirent. Quod quidem nihil aliud est quam materialis naturæ ordinem cognoscere; cum ordo sit apta dispositio plurimorum quæ media vocamus ad aliquid efficiendum quod finis nuncupatur.

Quid vero mentem ad illos singularum substantiarum fines, ad illum ipsius mundi ordinem cognoscendum potissimum incitat? Ea scilicet prænotio quam tertio causarum axiomatis corollario expressimus. Quum enim in mentibus nostris illiud anticipatum sit, nullam in mundo nisi propter finem existere finitam substantiam, ea veritatis luce prævia, cum substantiam vel aliquot substantiarum complexionem sensu percipimus, eamque aliqua ex parte finitam intelligimus, interius veluti admonemur inquirere ad quid illæ substantiæ efficiendum contendant, quis sit illarum actioni propositus finis.

Hinc apparet causarum axioma esse simul instrumentum quo intellectus rerum naturalium scientiam comparat, et stimulus quo ad scientiam eandem acquirendam et magis magisque augendam instigatur.

ARTICULUS III. — QUID MENS, AXIOMATIS CAUSARUM VI,
DE DEO COGNOSCERE POSSIT.

- I. Qua ratione probatur, causarum axiome proposito, motus, ordinis, ipsarum etiam finitarum substantiarum quibus constat mundus, causam effectricem extra mundum existere.
- II. Qua ratione probatur causam mundi creatricem infinita esse perfectione.
- III. Quonam sensu dici possit causarum axioma intellectui præluere ut Dei notionem concipiat.

§ I. — *Qua ratione probatur, causarum axiome proposito, motus, ordinis, ipsarum etiam finitarum substantiarum quibus constat mundus, causam effectricem extra mundum existere.*

Humana mens, progressu continuo, sui primum corporis percepit fatalem esse actionem; illi deinde insistens principio certa cognitione causas proprio corpori externas, materiales nimirum mundi substantias, necessarios earem motus, naturæ leges et consensionem, aliqua saltem ex parte, comprehendit.

Illa se rerum sensilium mutabiliumque notitia non continet intellectus, sed ad causam nititur quæ summa sit iisque rebus omnibus secreta.

Viæ quas sibi ad id fecerit breviter sunt indicandæ.

Imprimis observare est in ea quæ nos circumstat

natura continuos esse motus, continuas fieri modorum conversiones, ita ut perpetuo res corporeæ ex alio ad alium existendi modum transferantur.

Cnjusnam causæ vi hæc efficiuntur omnia?

Substantiæ, quibus constat materialis natura, sunt quidem, ut diximus, vires seu virium coagmentationes necessitati addictæ. Modos ideo commutare sine causa externa non possunt.

Quamobrem singulorum modorum, ad quos unaquæque substantia materialis transit, causa hanc extra substantiam posita est.

Ubinam vero ea causa exquiretur?

Eorum profecto modorum, quos in substantiis corporeis incipere videmus, causæ proximæ ex alterius substantiæ corporeæ commutatæ actione repeti potest. Sic rerum physicarum periti unumquemque materiæ motum ex alio ejusdem materiæ motu oriri demonstrant.

At vero motus illi, illæ commutationes, quibus materiales substantiæ ex alio ad alium existendi modum transferuntur, sunt numero finitæ. Numerus enim, quantuscumque hic et nunc existere fingatur, nunquam revera infinitus erit. Namque infinitum intelligitur aliquid ita magnum, ut ei nihil addi possit. Nul-
lus autem confici potest numerus ita magnus, ut augeri nequeat; siquidem numero cuilibet proprium est, ut concre-
scere possit consummatione aut ea computatione qua vel per alium numerum vel ipse per seipsum bis, ter, quater et ita porro, multiplicatur¹.

1. H. Th. Martin. *Les sciences et la philosophie : Le monde et l'infini mathématique*, p. 296.

Quæ cum ita sint, manifestum est res materiales primum habuisse statum ex quo ad status alios translatae sint. Siquidem in finita successivorum serie, aliquid necessario reperitur quod primum fuerit.

Quanam vero causa, substantiarum materialium universitas ex primo statu, ex primo existendi modo ad alium statum, ad alium existendi modum traductæ sunt?

Eas fato regi reputemus nec modos existendi permutare posse, nisi causa externa moveantur.

Dicemusne ex iis substantiis aliquam ceteris motum incussisse quem non incutiebat, ceteras aliqua impressione affecisse qua eas ante non afficiebat? At vero illa, qualiscumque sit, fatalis substantia quod non agebat agere non potuit, nisi recepta externæ causæ impressione.

Existit ergo a qualibet materialis naturæ substantia sejuncta causa, ex qua omnes rerum corporearum motus conversionesque principium ducunt.

Præterea, cœpto etiam naturæ cursu, plurimæ fiunt in fatalibus substantiis modorum commutationes quæ ex ceterarum materialis naturæ partium actione originem habere non posse videntur. Sic philosophi plurimi, iique præcipui, negant ea elementa quibus constant vivorum semina ex statu mere materiali ad vivendi formam potuisse per ullam materialis naturæ efficientiam converti. Unde ad vivorum procreanda germina prima est causa requirenda quæ toti naturæ materiali externa sit.

Sic axiome causarum innixa mens, ex mutabilium

rerum observatione ad cognoscendam causam ab iis rebus segregatam sese erigit.

Sed non modo in hac rerum universitate motus esse cognovimus; eos motus ita inter se videmus componi ut unus ex alio oriatur, et plurimi, veluti ex composito, ad aliquid unum spectent tandemque evadant.

Illum quidem plurimorum ad unum eundemque exitum consensum diximus rerum ordinem.

At vero, ex ea anticipatione quam tertio causarum axiomatis corollario explicavimus, mens novit quamlibet ordinationem opus esse causæ intelligentis.

Quam causam tum in iis ipsis rebus quas videt ordinatas, cum in aliis quæ finitæ sunt inquirat. Ibi cum illam nullo modo reperire potuerit, affirmat eam causam extra rerum universitatem existere.

Præterea, si mente removerimus et substantiarum quibus mundus noster constat perpetuos motus, et illorum motuum certam compositionem, ipsæ restant substantiæ quos mutabiles finitasque cognoscimus.

Substantiæ autem quæ modos existendi commutant, quæ limitibus circumscriptæ sunt, non ex se, sed ex causa externa rationem existendi ducunt. Hoc, ut supra ostendimus, menti infixum nostræ est, hoc certum inconcussumque habemus.

Hinc, axiomatis causarum luce, mens cognovit, citra hujus mundi fines existere naturam quæ non modo substantiarum mundanarum motus earumdemque ordinationis causa sit, sed ipsas, quæ certo ordine aguntur vel agunt, substantias finitas ex nihilo ad existendum traxerit.

§ II. — *Qua ratione probatur causam mundi creatricem infinita esse perfectione.*

Intellectus nondum causam infinitam attigit. Infinitas enim non statim includi videtur in efficientiæ notione quæ tum ad motuum sensibus perceptorum inchoationem ordinationemve, tum ad ipsarum substantiarum quæ finitæ sunt creationem necessaria existimatur.

Non equidem argumenta desunt quibus hæc infinitas demonstrari possit. Sed ea magis a causarum axiomatica aliena vel remota sunt quam ut hic exponi debeant¹. Unum satis erit indicare si non validissimum at certe brevissimum et usitatissimum.

Hinc vim illam, ad cujus efficientiam rerum omnium origo motusque primigenius et ordinis in natura existentis miracula referuntur, majora effecisse concipimus ipsamque esse majorem causis omnibus quas percipit sensus

Illinc cum se infinitum menti objicit, nihil aliud de eo primum intelligitur, nisi quod res experientia cognita superat iisque ex omni parte majus est.

Ea idearum vicinitate ad id statim inducimur, ut primam causam judicemus infinitate esse præditam.

1. Vide supra CAP. III, art. II, p. 88, locum ex P. Rothenflue excerptum.

§ III. — *Quonam sensu dici possit causarum axioma intellectui humano prælucere ut Dei notionem concipiat.*

Supra diximus, videlicet p. 111, qua ratione mens rerum naturalium fines persequi admoneatur.

Hic etiam rogari potest quid mentem præcipue moveat ad primam tum illorum quos in mundo percipit motus, tum eorundem motuum ad certos fines conversionis (quæ conversio naturæ ordo est), tum ipsarum quæ certo ordine moventur et agunt substantiarum causam disquirendam.

In promptu responsio est.

Hanc causam, ubicumque se nobis et motus et ordo et finitæ substantiæ spectanda offerunt, disquirimus, ad hujus causæ investigationem prompto ac fidenti animo accingimur, quia eam causam existere obscura jam assecuti sumus prænotione.

Illam vero prænotionem ea nobis sufficit lux veritatis quam secunda axiomatis causarum parte demonstravimus.

Unde patet illius axiomatis vim, qua jam physicarum rerum scientias incitari afflarique diximus, ipsi etiam metaphysicæ, ipsi theologiæ stimulum animosque addere.

Nobis tamen fatendum est mentem quæ, duorum illorum argumentorum proximo loco expositorum ratione adhibita, Deum esse causam judicat et ordinis

qui in mundo elucet et eorum quæ finita existunt, non illud detegere quod prorsus ignorabat, sed ea quæ, inventa prius, elapsa fuerant ante oculos veluti revocare.

Ea enim argumenta ostendimus nostris de causa et fine inniti axiomatibus: quæ, qua ratione mens perspiat et perspecta intellectui veluti imprimat novimus.

Scilicet ex infiniti et finiti quas simul obtinuit notionibus proficiscitur.

Infinitum videt esse perfectissimam naturam, summam vim, rationem summam.

Porro naturam infinita perfectione, vi infinita præditam intelligimus ea necessario creavisse quæ ab ipsa distincta existunt.

Ratio præterea causam infinite sapientem concipit finitas res ob certum finem creavisse.

Exinde intelligit et affirmat tum quæcumque finita existunt externæ causæ vi existere, tum quæcumque ad certum finem consequendum efficaciter continentur, id intelligentis causæ vi efficere.

Hinc apparet axiomata de causis et finibus mentem concipere non posse, nisi prius Deum existere, Deum singula condidisse, et ea ad certum finem ordinavisse intellexerit.

Sed ea omnia, quo tempore ad dicta axiomata concipienda tenera mens sese primum erigit, non nisi obscura assèquitur cogitatione.

Etenim notiones, quarum modo originem exposuimus, omnes una infiniti notione continentur. Infinitas summam perfectionem, potestatem et intelligentiam

includit. Summa illa in infinito potestas, summa intelligentia efficientiam includit qua infinitum finita creavit ordinavitque.

Ubi primum mens infinitum cum finitis concipit, eas omnes, quas nonnisi postea discernet, notiones jam tenet, sed confuse, sed permixtim tenet, nec aliam ab alia secernit.

Illa autem cognitio, indistincta licet, ad eorum axiomatum editionem sufficere videtur, nec alia perfecto animis rationis usum exordientibus magis explicata scientia concedi potest.

Imo vero, cum ex una ad aliam notionem progressa, ad ipsorum axiomatum formam pervenit eamque, ut ita dicam, arripuit, nihil jam asserit, nisi ea quæ finita existunt externæ causæ vi existere, et ea quæ ad certum finem contendunt ab intelligenti causa ordinata fuisse. In iis asserendis Dei nequaquam meminit. Individua Dei natura, ejusdem infinitas, ab ea hominis cogitatione quæ reflexa dicitur, penitus absunt.

Illa vero axiomata, quæ impressa habet et in sui quodam penetranti recondita, cum in usum profert mens; ea cum supponit argumentis quæ modo exposuimus; cum rerum sensu intimo vel externo perceptarum, quæ causa sit, quis finis diligentius, eorum axiomatum luce instigante, exquirat, certiusque, eadem luce prævia, reperit, sese necessario ad id erigit ut expresse ipsum cogitet Deum, Vim scilicet ab iis omnibus rebus discretam, summam Potestatem quæ omnia finita ex nihilo creavit, Rationem et Sapientiam summam quæ omnia creata ad certos digessit fines.

INDEX RERUM.

	Pages
Proœmium.....	1
I. — Quæstio tractanda.....	1
II. — Brevis controversiæ historia. — Lockius	2
III. — Leibnizius	3
IV. — David Humius.....	5
V. — Thomas Reidius.....	7
VI. — Emmanuel Kantius.....	10
VII. — Hamilton.....	17
VIII. — Franciscus de Biran, Victor Cousin et Adolphus Garnier.....	19
IX. — Recentiorum placita.....	23
X. — Controversorum summa. — Hujus Thesis propositum.	27
 CAPUT PRIMUM. — De causæ et substantiæ perceptione	31
Articulus primus. — De perceptione causæ intimæ, ejus nempe quæ eadem est ac cognoscens anima.....	31
Art. II. — De causæ externæ perceptione	33
§ I. — De perceptione causæ externæ in genere.....	33
§ II. — De perceptione proprii corporis, illius nempe causæ quæ cum animæ externa sit, eam tamen præsentî actione commovet	35
I. — Utrum ea perceptio vere directa sit.....	35
II. — Quidnam ex proprio corpore apprehendat per- ceptio directa ⁽¹⁾	42
Articulus III. — De notione infiniti	44

1) Is titulus ad normam indicia corrigendus erit.

	Pages.
Articulus IV. — De perceptione intimæ substantiæ ejusque modorum commutationis	50
Articulus V. — De perceptione externæ substantiæ finitæ ejusque modorum commutationis.....	55
§ I. — De perceptione externæ illius substantiæ quæ nos- trum est corpus.....	55
§ II. — De prima cognitione earum sensilium substantia- rum quæ corpori nostro externæ sunt.....	62
 CAPUT SECUNDUM. — De ideis universis causæ et substantiæ aliarumque rerum connexarum	 64
Articulus primus. — De comprehensione et extensione ideæ universæ	64
Articulus II. — De idea causæ universa.....	68
Articulus III. — De idea universa substantiæ modorumque commutationis.....	69
Articulus IV. — De idea universa successionis et initii	72
Articulus V. — De quibusdam hujus capitis corollariis.....	75
 CAPUT TERTIUM. — De causarum axiomate	 77
Præviæ Definitiones.....	77
Articulus primus. — Prima axiomatis causarum pars, qua asseritur omnem modum existere incipientem causam habere cur existat.....	78
Articulus II. — Secunda axiomatis causarum pars, qua scilicet asseritur nullam incipere substantiam quæ non habeat suam existendi causam.....	84
Articulus III. — Causarum axiomatis consecutaria proxima et notæ.....	93
§ I. — Primum consecutarium, de modorum fataliter inci- pientium causa	93
§ II. — Secundum consecutarium, de agendi modo qui substantiis necessitate devinctis proprius est	94
§ III. — Tertium consecutarium, de eo quod dicitur principium inductionis	96
§ IV. — Quartum consecutarium, de causis quæ dicuntur finales	98
§ V. — Axiomatis causarum notæ	100
 CAPUT QUARTUM. — De causarum axiomatis usu.....	 102
Articulus I. — Quid rationalis anima de corpore sibi conjuncto possit, adhibito causarum axiomate, cognoscere.....	102

	Pages.
Articulus II. — Quid, axiomatis causarum vi, mens de sensibus substantiis quæ proprio corpori externæ sunt cognoscere possit.....	108
Articulus III. — Quid mens, axiomatis causarum vi, de Deo cognoscere possit.....	112
§ I. — Qua ratione probatur, causarum axioma proposito, motus, ordinis, ipsarum etiam finitarum substantiarum quibus constat mundus, causam effectricem extra mundum existere.....	112
§ II. — Qua ratione probatur causam mundi creatricem infinita esse perfectione.....	116
§ III. — Quonam sensu dici possit causarum axioma intellectui præluere ut Dei notionem concipiat.....	117

Paris, 26 février 1876.

VU ET LU :

Par délégation :

P. JANET.

Typis mandetur :

Academiæ Parisiensis Rector

A. MOURIER.

107	Articulus II. — Quid, rationis essentia et mens de sen- sibus substantiis per proprio cognoscitur sunt cognos- cere possit
108	Articulus III. — Quid mens rationis essentia et mens de sen- sibus substantiis per proprio cognoscitur sunt cognos- cere possit
110	§ I. — Quod rationis essentia et mens de sensibus substantiis per proprio cognoscitur sunt cognoscere possit
111	§ II. — Quod rationis essentia et mens de sensibus substantiis per proprio cognoscitur sunt cognoscere possit
112	§ III. — Quod rationis essentia et mens de sensibus substantiis per proprio cognoscitur sunt cognoscere possit
113	§ IV. — Quod rationis essentia et mens de sensibus substantiis per proprio cognoscitur sunt cognoscere possit



Paris, 24 février 1876.

VU ET LII.

Par dérogation :

P. JANET.

A. MORELIER

Imprimé par A. Lacroix, à la rue de la Harpe, Paris.

